XVIII-E-10(5)
1614

N 11, 342 (5

NEUROSIUM

EPITOME THEORICO-PRACTICA

AD USUM

PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

AUCTORE

LAURENTIO GIROLA

MEDICINÆ THEORETICO-PRACTICÆ

PROFESSORE

in R. Taurinensi Athenaeo

PARS I.

TAURINI 1847
EXCUDEBAT JOSEPH CASSONE
OBTENTA FACULTATE.

BCS
VERR
b
35
Biblioteca Civica
Saluzzo

NEUROSIUM

EPITOME THEORICO-PRACTICA

Aneuria
Dispneumoneuria
Asthmenisatio

N.° d' inventario
1614

NEUROSIUM

EPITOME THEORICO-PRACTICA

AD USUM

PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

AUCTORE

LAURENTIO GIROLA

MEDICINÆ THEORETICO - PRACTICÆ

PROFESSORE

IN R. TAURINENSI ATHENÆO

PARS I.

BIBLIOTECA CIVICA
XVIII. g. 10 (5)
SALUZZO

TAURINI 1847

EXCUDEBAT JOSEPHUS CASSONE

OBTENTA FACULTATE.

DE NEUROSIBUS GENERATIM

1. Nobilior ac potior humani organismi pars, quam *systema nerveum* constituit, ex qua caeterae animantur et reguntur, sensus ac motus pendent, sympathiae, synergiae aeque ac antitheses organicae foventur, tum commercium inter individua et cum rebus externis instituitur; ob haec quibus inservit officiis, dum in variis ejus organis *substantive* laeditur, nosologicam morborum classem suppeditat, cui nomen *neurosium* dudum impertitum fuit.

2. Neuroses ex *vocis* desinentia, aegritudines systematis nervei et variae naturae designant: in quibus constituendis difficultates pariunt intricata nervei systematis dispositio, obscura hactenus physiologia, et ambigua saepe neurosium phaenomena. Cum tamen organorum nerveorum substantia ac

proprietates potissimum laedantur, Neuroses praesto esse dicimus.

3. Ex modo pariter, quo nervea organa disposita et conflata sunt, neurosium definitio ardua redditur. Namque cerebro-nervea pulpa ubique in textu celluloso inclusa est ac a vasis capillaribus irretita: quemadmodum nervi cum aliis textibus intime miscentur in organorum compositione: adeo ut specialis organorum nerveorum laesio, composita saepe occurrat.

4. Notum attamen est, ipsamet fila nervea, quae cum aliis textibus junguntur, donec propria servant attributa, morbis interdum peculiaribus corripi, exemplo *gastralgiae* in ventriculo, *hysteralgiae* in utero, etc.; quapropter arduum quidem, sed non impossibile, neuroses determinare.

5. Aliae porro nervei systematis partes innervationem dimittunt ac diffundunt: ut centra nervosa, ganglia speciatim nervi intercostalis ac ejus propagines; aliae sensui multifario praesunt, ut nervi communiter ac specifice sentientes, atque cerebrum; aliae motibus voluntariis prospiciunt, quemadmodum cerebellum, nervique cerebrales 3^{i}, 4^{i}, 6^{i}, 7^{i}, 11^{mi} *et* 12^{mi}: parium, et omnes nervi spinales anteriores. Idcirco neuroses constituuntur ex laesionibus substantivis cujusque partis systematis nervei, quae *innervationis*, vel *sensus*, vel *motus*, vel utriusque aberrationibus innotescunt. At expeditum semper non est anatomicam neurosium sedem eruere, quousque nervei systematis partes, quae sensui,

quae motui, et quae utrique prospiciunt, magis constiterit (*).

6. Ad id sane operis, etsi nullo non tempore adlaboratum sit, plurima tamen arcana vel dubia manent; ast nullus etiam inficiabitur, post multiplices Nuperorum indagines, et experimenta in brutis viventibus suscepta, nerveorum organorum speciales proprietates ac usus magis magisque in dies illustrari, adeo ut specialis tandem pathologia nervei systematis ordinari possit.

7. Jamvero diffitendum non erit, primis statim anatomis physiologicae cultoribus innotuisse, nervos alios esse *sentientes*, et alios *motorios*; deinde cerebrum, functionibus intellectualibus praeesse: medullam spinalem atque nervum intercostalem, vitae organicae praesertim famulari. At factum potissimum est ex concurrentibus simul laboribus summorum virorum, Willisii, Wieussenii, Halleri, mox Darwinii, Rolando, Gall et Spurzheim, Bellingeri; Magendie, Flourens, Wenzel, Scarpa, Panizza, Müller, Foville, Valentini, Longet, aliorumque hodiernorum, ut singularibus propemodum distinctis officiis, et nova sympathiarum ratione per *reflexionem* creata, nunc de neurosium causae sede minus dubia sententia proferatur.

8. Non ita neurosium intima natura hactenus pa-

(*) Magendie ad nervos quod attinet, hos in *sensuales*, *sensorios* et *motorios* dividit; primos sensibus externis et alios sensui communi dicatos; ac postremos motibus voluntariis. Müller distinguit *sensuales*, *mixtos* et *motores*. Marshall' Hall *senso-motores*, *excito-motores*, *excitatores*, et *reflecto-motores* recenset.

tet ac fortasse patebit, usquequo ignorabimus, in quo potentia nervea consistat, an materialis vel immaterialis sit, an fluidum et cujus naturae, an vis substantiae nerveae inhaerens. Cum autem fluido etiam posito, vis aut potentia emergat, satius usque huc ducimus, has, prout opus, ad phaenomena explicanda invocare.

9. *Definitio neurosium.* — Ex iis, quae jam de neurosibus innotescunt, has definire posse censemus: *laesiones dynamicas vel dynamico-organicas systematis nervei, vel hujusce partis, quae per multiplicem aberrationem, idest exaltationem, perturbationem, imminutionem, ac feriationem etiam, innervationis, vel sensus, vel motus voluntarii, vel utriusque manifestantur.*

10. Iis nempe assentiendum non videtur, qui neuroses ex eo praecipue distinguendas reputent, quod constanter dynamicae sint; his enim adversantur, quae ex laesione materiali pulpae nerveae, vel ex hujus emollitione, induratione, degeneratione varia provocantur. Obstat et natura rei, cum laesio dynamica consistere diu nequeat, quin organica nervorum structura mutationem aliquam patiatur.

11. Cum vero pariter non consentit J. P. Frank, dum neurosim ex primaria tantum laesione pulpae nerveae efficit. Prostant namque neuroses essentiales, etiamsi secundariae, quas tales esse retinebis, cum laesio potior vel substantiva, ex qua symptomata morbi vigentis producuntur, nerveis organis insideat, ut ut ex aliis morbis primariis jam progenita.

12. Nimia contra latitudine ii utuntur, qui praeeunte J. Frank, in censum morborum nervosorum, qualemcumque morbum systematis nervei collocant. Ubi enim involucra et vasa proprio morbo laborant, ut in meningitide et in angioitide cerebrali: hujusmodi morbos, de quibus systema nerveum particeps tantum redditur, ad neurosium classem revocare inconsonum foret.

13. Hoc autem admisso, vellent alii, apoplexiam, epilepsiam, aliasque hujusce generis aegritudines, quatenus ex irruente congesto sanguine aut exhalato sero, aliisve prementibus, distendentibus, irritantibus potentiis saepenumero producantur, e neurosibus expungere. Verum ad eas excitandas vix quam causam occasionalem dictae praestant, atque cum earum causa proxima in mutatione morbosa supra cerebrum aut nervos ab iisdem inducta resideat, quemadmodum potiora nervea symptomata testantur; ita consequens est, ut memoratae affectiones, non omissa earum origine, inter neuroses retineantur.

14 Proprium insuper neurosium esse innuimus, ut se prodant per proprietates functionesque nervorum a norma deflectentes, prout exaltantur vel opprimuntur, perturbantur, perverturtur, deprimuntur, vel feriantur. Quare ex allatis, jam neurosium pathogenia et indoles summatim educuntur.

15. *Partitio et ordinatio neurosium.*— Quousque anatomes physiologica nervei systematis latuit, una neurosium forma spectata, divisiones condiderunt

Nosologi ab eadem desumptas. Hujusce census vetustiores fuere; ac his antiquatis praetermissis, ad illam Cullenii statim venientes, reperimus hanc depromptam ex sensu vel motu laesis, neuroses in *comata*, *adynamias*, *spasmos*, et *vesanias*, tribuere; tribus ordinibus in quarta ejusdem nosologiae classe, pro neurosibus mere localibus superadditis. Ad hanc maxime accedit collocatio neurosium a J. P. Frank in *adynamias*, *dolores*, *spasmos*, et *vesanias*. Sed facile est dijudicare utramque cum cultiori anatome-physiologica haud amplius consentire.

16. Pinelius ab empirica istarum simplicitate jam discessit, ac lumine anatomo-physiologico, neuroses partitus est in eas *sensuum*; *functionum cerebralium*; *locomotionis*; *vocis*; *functionum nutritivarum*, atque *genitalium*. Insuper Raimann praegressus a Reil et Swediaur, clarius easdem distribuit physiologia duce, in aberrationes sensus communis (*dysoesthesias*); aberrationes appetituum naturalium (*dysorexias*); aberrationes sensuum externorum (*hallucinationes*); aberrationes sensuum internorum (*vesanias*); aberrationes motuum muscularium (*dyserethisias*); et in aberrationes sensus et motus (*n. mixtas*). Hisce neurosium partitionibus non ineptis, sed nec satis aequis affines prostant aliae, quas brevitatis causa omittimus.

17. Nuperius Puccinotti in opusculo apposito, neuroses ad tres ordines revocat: *neuralgias*; *spasmos*; et ad laesiones *sensibilitatis ac motilitatis*;

quibus tria genera submittit a sede anatomica petita: 1um relativum ad centrum *gangliosum*; 2um ad *cerebello-spinale*; 3um ad *cerebrale*: sub his, neurosibus omnibus specialibus collocatis. Incongruam vario sub intuitu hanc neurosium divisionem esse putamus.

18. Nuperrime Bouillaud praemissa generali neurosium sectione quoad indolem, in neuroses *activas* (*hyperneurias*) et in *passivas* (*hyponeurias*), omnes singulatim expendit juxta ordinem anatomicum. At 1° in neurosibus praesertim, forma ab essentia saepissime differt; 2° quousque dubia et intricata singularum partium nervei systematis officia manent, ac propterea neurosium causae sedes pluries ambigua consequitur; plurimi quidem faciendas esse anatomicas neurosium nosographias remur, non eas tamen, juxta quas, neuroses ad singularem trutinam expendere hactenus liceat.

19. Opportuniorem nos sequentem componimus et reputamus nosographicam neurosium partitionem, qua, vulgari praeposita in eas *vitae organicae*, in eas *vitae animalis*, ac in eas utriusque vitae: juxta hodiernas anatomis minutioris et physiologiae experimentalis notiones, quatuor ordines conficiuntur; 1us neuroses innervationis complectens (*neuropathiae*); 2us neuroses sensibilitatis (*neuresthesiae*); 3us neuroses motilitatis voluntariae (*neurocynesiae*); 4us neuroses varii generis (*n. mixtae*).

20. Unusquisque praeterea ex neurosium ordinibus in genera et species varias commode subdividi poterit. Revera neuroses innervationis, aut vitae

organicae in illas *apparatus digerentis*, *apparatus uro-genitalis*, *systematis sanguinei*, *apparatus respiratorii*, atque *nutritionis* sponte tribuuntur.

Neuroses sensibilitatis partiuntur in eas *sensus animalis*, *sensuum instinctivorum*, *sensuum externorum*, et *sensuum internorum*.

Neuroses motilitatis voluntariae in *spasmos* et *paralyses* diducuntur. Mixtae demum ex praedominio innervationis, sensus vel motus aberrantium, discriminabuntur.

21. Equidem nec nostra neurosium dispositio veram earumdem causae sedem et essentiam refert; sed ad has detegendas, recenti anatome-physiologica duce, viam sternere aequiorem videtur.

22. Non omittendae demum communes morborum differentiae, quae neurosibus quoque accommodantur. Ea primum, quae, inspecto laesionis nerveae genere, neuroses in *dynamicas*, *dynamico-organicas*, et *organicas* distinguit. Quae, indole animadversa, neuroses in *irritativas*, *congestitias*, *sthenicas*, *adynamicas*, *asthenicas* tribuit. Illae tandem, quas parit origo, ex qua neuroses *haereditariae*, *congenitae*, vel *aquisitae* profluunt; aliaeque ex causis, *traumaticae*, vel *spontaneae*: *primariae*, *secundariae*, *symptomaticae*, *sympathicae*, *metastaticae*; aliaeque ex intensitate, decursu, atque duratione, *acutae*, *lentae*, *chronicae*, *inveteratae*, *habituales*: *continuae*, *periodicae*, *vagae*, *fugaces*, *leves*, *graves*, *perniciosae*; aliaeque iterum ex causis et diffusione, *sporadicae*, *endemicae*, *epidemicae*, *con-*

tagiosae. His enim spectatis, adjuncta et indoles neurosium inclarescunt.

23. *Symptomatologia generalis*.—Neuroses in abditis plerumque organis sedentes potissimum symptomata revelant. Haec autem differunt pro neurosium sede, indole, forma ac varietatibus pene innumeris, ut singillatim magis quam generatim referri queant. Quo tamen communiorum saltem conspectus generalis habeatur, uniuscujusque ordinis neurosium praecipua summatim tradentur.

24. Neuroses porro laesae innervationis stipant symptomata multiplicia, quae ab influxu nerveo supra digestionem, circuitum sanguinis, respirationem, nutritionem, et secretiones alterato producuntur; atque huc veniunt *dyspepsia*, *vomitus*, *cardiopalmus*, *lypothimiae*, *dyspnaea*, *apnaea*, *atrophia*, etc. Neuroses sensus animalis indicant, *dolor* hujusque variae species, et istis affines, *pruritus*, *titillatio*, *formiculatio*, vel contra *insensibilitas*, *anodynia*, etc. Neuroses sensuum instinctivorum, qui ad vitam organicam simulque animalem pertinent, aberrationes ostendunt in iisdem contingentes; et primo quoad sensum famis appetitus *auctus*, *perversus*, *imminutus*, *deletus*; 2°, eaedem in sensu sitis morbosae mutationes; 3°, consimiles in sensu aphrodisiaco accidentes, quas denotant in viris turgor genitalium praeternaturalis, ac effraenis ad venerem, onaniam, impulsio; et in foeminis libido inconsueta ac involuntaria; quibus adversatur *anaphrodisia*.

25. Neuroses sensuum externorum a pari revelant uniuscujusque acies acutior, obtusior, perversa, infracta, nulla; unde emergunt quoad visum, *photophobia*, *dysopia*, *caecitas*; quoad auditum, *oxycea*, *dysecea*, *surditas*; quoad odoratum, hujus *illusiones*, et defectus (*anosmia*); quoad gustatum, falsi sapores, ejusque amissio (*agheustia*); quoad tactum, acuties morbosa, perversitas, paralysis (*anaesthesia*). Multiformes hinc sensuum internorum perturbationes exprimunt primum, somnus diuturnior, profundior, *somnolentia*, vel *insomnia*, *somniatio*, *somnambulismus*; deinde in perceptibilitate, memoria, et judicio, tum in facultatibus affectivis, cum in volitivis abnormitates plurimae, quae tot, tamque varias vesanias a se invicem distinguunt; recensitis hîc *delirio*, *furore*, *amaenomaniis*, *lypemaniis*, *dementia*, *amentia*, etc.

26. Prout motus voluntarii augentur, vel imminuuntur, delentur, praesto sunt *spasmi*, vel *paralyses*, forma, gradu, et sede discrepantes. Mixtas denique neuroses repraesentant deviationes simultaneae in innervatione et in sensu vel motu, ut plurimum cum alterutrius praedominio; quemadmodum *delirium* et *spasmi*, *sopor* et *paralyses* conjunctim; atque hujusmodi neuroses ex centrorum, nervorum idiopathicis vel sympathicis, magisque diffusis affectionibus proficisci, non aegre conjicitur.

27. *Necroscopia neurosium.*--Primariarum et dynamicarum nulla manere solet laesio, quae in sensus incidat. Contra dynamico-organicae neuroses, in

nervosae substantiae colore, densitate, volumine, plus minusve obvias mutationes anatomo-pathologicas, easque materiales vel organicas relinquunt, quas detegit inspectio accurate instituta. Quales sunt: in cranii ossibus crassities vel tenuitas nimiae, exostoses, spinae osseae, fracturae, caries; in meningibus spissitudo major, adhaesiones praeternaturales, effusiones, producta alia, ceu tubercula, ossificationes, ac erosiones; quae in medullae spinalis involucris osseo, atque membranaceo pariter occurrunt visendae. Graviores praeterea adnotantur in substantiis cinerea ac medullari, ut puncticulatio, injectio minuta capillarium, densitas earum aucta, hypertrophia, atrophia, induratio, emollitio, suppuratio, degeneratio multiplex, nec non aliquando in iisdem producta etherogenea. His affinia in nervis reperiuntur, utpote nodi, tubercula, neuromata, tum durities, mollities, laceratio, erosio, abruptio. Unde liquido fluit, cur neuroses aliae nullo fere negotio medicabiles, et aliae immedicabiles se praebeant.

28. *Ætiologia generalis*.- Omnium causarum praecipua se sistit in constitutione systematis nervei exquisitius sensitiva, aut torpida, sive nativa, sive acquisita. Insuper quidquid immediate aut mediate systema nerveum acrius percellit, aut infringit, ut ejus proprietates, functiones a naturae norma singillatim deflectant, causas neurosibus suppeditat. His vero accensebuntur praesertim quae immediato, vel electivo quodam modo nervea organa afficiunt. Cunctas interim, ut rectius expendantur, suamque

omnes partem recipiant, in praedisponentes et occasionales more solito diducemus.

29. Ad priores referuntur ipsa constitutio nervea sensibilior, vel iners, tum vitiosa compages thecae cranii, columnae vertebralis, aut encephali, medullae spinalis, aut nervorum, quae cum nativae saepius sint, dispositionem *haereditariam*, vel *congenitam*, vel *connatam* reddunt. Cujusmodi exempla praebent gentilitiae quaedam affectiones, ac singillatim apoplexia, epilepsia, phraenopathiae, aliaeque. Favent insuper neurosibus incitabilitas ac irritabilitas excedentes vel deficientes in aliis textibus; temperamentum speciatim biliosum, atque melancholicum: sexus sequior; aetas infantilis vel senilis: tempus dentitionis, pubertatis, catamaeniorum, graviditatis, partus, puerperii: climata calida: tempestates aestiva et hyemalis, praesertim solstitiorum tempore: victus nimius aut calefaciens, et vicissim inaedia, atque morbi diuturni organismum vel sanguinem extenuantes.

30. Dispositionem ad neuroses pedetentim inferunt quoque, institutio corporis mentisque mollior, effoeminata, vel praematura ad severiora studia applicatio, aut eorum intensior cultus, et vicissim omnimoda desidia inassuetis; subinde vita socialis actuosior, vel fortunae varietate jactata, vel tristibus, despondentibus animi curis oppressa, debilitata. Cernere namque est in his adjunctis versantes, neurosibus multiformibus subjectos.

31. Vix autem numero finitae occurrunt causae

neurosium occasionales, inter quas primae veniunt; laesiones *traumaticae*, idest lacerationes, puncturae, pressiones, commotiones nerveis organis illatae, tum vellicationes, blandae frictiones, praestigia, contre-ctationes magneticae, cum irritationes ab acribus quibusque provocatae. Insuper veniunt insolitae ac speciatim repentinae atmosphaerae mutationes quoad temperiem, densitatem, humiditatem, electricitatem aeris, atque praesertim tempestuosae quaeque meteorae, fulguris immediata actio, calor aestuans, vires exhauriens, uti et frigus intensum; atque nunc effluvia miasmatica, carbonosa, ammoniacalia, mercurialia, arsenicalia, aliaque metallica; deinde odores ipsi acutiores, vel peculiari idiosyncrasiae adversi, visus personarum, brutorum, rerumque commotionem, horrorem inducentes, sapores ingrati, nauseabundi; potissimum vero ingesta nimia, vel stomacho contraria, depravata, adulterata, et fames ac inaedia diu tolleratae; hinc remedia acria, vehementiora, ingrata, venena cujusvis naturae, et contagia; modo retentiones naturales vel habituales humorum, itemque profluvia immodica; nimius motus, aeque ac nimia quies; somnus longior, ac vigiliae nimis protractae; quarum omnium et singularum causarum in producendis neurosibus potestas singillatim demonstrabitur.

32. Praeter allatas, mentionem peculiarem expostulant, quae mentem vel animum, vel utrumque agitant, perturbant, vel alienant, infirmant. Cujusmodi sunt: mentis contentiones vehementiores, aut

diuturniores, vel ardentis imaginationis impetus, cupiditates exaltatae, infractae, coercitae, delusae, ac sub his militantes, vel immediate excitae, inopinatae, jucundae, ac tristes speciatim animi affectiones, utpote laetitia improvisa, aut ira, indignatio, pavor ac terror, aut moeror gravis ob zelotypiam, invidiam, odium, et alia quoque modo inducta animi pathemata. Quae vim cerebralem, rachideam, aut nerveam syderando, vel perturbando, vel projiciendo, neuroses variae sedis provocare, quotidiana observatione edocemur.

33. Addere demum oportebit causas neurosium, quas aegritudines aliae praestant. Lentae nempe meningum, neurilematum, aut encephali, medullae spinalis, nervorum phlogoses, harumque sequelae, uti effusiones sanguineae, serosae, aut vasorum dilatationes, ossificationes, obturationes; tum labes, morbi aliorum systematum, apparatuum, organorum nervis propiorum, aut cum systemate nervoso magis consentientium; e quibus secundariae, ac sympathicae neuroses excitantur.

34. Latet interim neurosium causa intima, et eousque latebit, quo potentiae nerveae natura abdita fuerit. Severam namque trutinam haud sustinent, veterum ac nuperorum circa illius indolem placita. Materialem quippe humorem in nervis ponere, observationi et rationi adversatur. Ipsum fore electricum, vel electro-galvanico, aut magnetico affine, demonstratum satis non est. Itemque fluentes electro-nerveas, idest vitales, quas detexisse Puc-

cinotti, atque Paccinotti contenderant, alii nulla arte, iisdem experimentis usi, sibi comparare voluerunt. Utinam vero, quod probabilitate non caret, detegantur, ita planior neurosium doctrina fiet!

35. Neque etiam patet qua ratione agant nervea centralia organa atque nervi, et qui reipsa singulorum sit usus et mutuus influxus, vel aliorum super alia imperium. Dubium enim, an per fluidi motum, an per motum molecularem illa suis muneribus defungantur, et quamnam partem alia ac alia in functionibus compositis, animalibus, intellectualibus, et mere nerveis habeant; propterea neurosium genesis, et idiopathica sedes nunquam satis innotescunt.

36. Cogimur tamen quo menti satisfaciamus, fingere nerveam potentiam, et per hanc, fibrae nerveae ministerio, omnes functiones explicare. Deinde notionibus ab experientia et ab observationibus anatomico-pathologicis depromptis utentes, functiones sensorias a sensualibus et a motoriis, ac has et illas ab iis simplicis innervationis sejungere conabimur; ut ad easdem singillatim alteratas, quales in minus compositis neurosibus occurrunt, interpretandas, easque sede et indole definiendas, gradum facere valeamus. Postmodum retenta neurosium dynamicarum, atque dynamico-organicarum partitione, prioribus causam essentialem assignamus in *exaltatione*, *perturbatione*, *inaequali distributione*, vel *imbecillitate potentiae nerveae* positam; posterioribus autem, *irritationem*, *congestionem*, *inflam-*

mationem etiam, atque harum *sequelas* adscribimus. Etsi namque hae postremae, nerveae pulpae haud insideant, neuroses tamen producunt quae nonnisi illis subactis conticescunt.

37. Multoties insuper continget, ut ad explanada saltem phaenomena, in neurosibus potissimum mixtis, sympathiarum, synergiarum vel reflexionis, vel etiam antagonismi leges invocare oporteat; his enim intelligetur cur neuroses quaedam ictu quasi fulmineo ad remotas partes diffundantur, prout aliae concentrantur, et aliae alibi ac egit causa, excitantur; ita ut ex hac multiformi specie et versatilitate, neuroses etiam dignoscantur.

38. *Diagnosis communis neurosium.* — Solemne est morbum nervosum illum declarare, qui nerveis organis insideat, ac per nervosa potissimum symptomata manifestetur. Verum ex pluribus una conjunctis notis neuroses redarguere tutius est. At 1° quidem ex laesione praecipua innervationis, sensus vel motus, vel utriusque probe distincta; 2° ex invasione saepe prompta, tum et cessatione; 3° ex recursu frequenter periodico, vel incessu prorsus irregulari, mutabili, sine causa manifesta; 4° ex immateriali non rara earum indole; 5° ex psychica origine; 6° ex lege adsuetudinis, cui facile parent; 7° ex ipsarum desinentia, suppressa causarum actione, recidiva tamen facili ob levem caussam; 8° ex earum pertinacia ubi inveteraverint, quo in casu methodus alterans, revulsiva, indirecta prae directa, efficacior reperta, tamquam criterium therapeuticum se addit.

39. Probabilior diagnosis redditur, cum symptomata neurosibus familiaria essentialibus adjungantur, ut pulsus irregularis, inaequalis, subsiliens, tremulus, celerrimus, vel maxime tardus, crebrae in calore animali mutationes, et subitus ad gradus ejusdem extremos transitus, inaequalitas temperiei inter diversas corporis partes, mutabilitas in cutis colore, et speciatim in faciei lineamentis, urinae copia varians, mictus frequens, decoloratio, nec non caeterae secretiones atque excretiones perturbatae. Conferunt inde animi status morosus, tristis, vel praeter consuetum hilaris, mutabilis: somnus inquietus, somniis agitatus, vel insomnia, pervigilium, aut somnus diuturnior, profundior, et soporis varius gradus. Quae profecto, et alia quamplurima ejusdem census, nervosa praesertim organa affecta esse commonstrant.

40. *Prognosis generalis neurosium.* — Praenoscere istarum eventus, perardua res est. Aliae quippe magno symptomatum apparatu insurgunt, quae paullo post nullo negotio disparent; ac vicissim aliae, quae vix ullis enunciantur phaenomenis, et clandestinas insidias struunt. Non paucae rationalibus praesidiis reluctantur, ac spontaneo naturae nisu, et alteranti methodo tantum dissipantur. Ad prognosim tamen rationalem ducunt, neurosium causae, sedes, intensitas, extensio, duratio, et specialia adjuncta. Constat porro, neuroses haereditarias, et congenitas aegre dispelli; non ita adventitias dummodo nondum inveteratas. Neuroses

laesionem materialem, eoque magis organicam pro causa immediata agnoscentes, vel non subiguntur, vel aegerrime; contra dynamicae ab irritatione, congestione, phlogosi, *activae* dictae, aequius debellari consuescunt, quam *torpidae*, *passivae*, *asthenicae*. Longe graviores, et saepe lethales accidunt cephalicae, rachideae, etsi nervorum propriae interdum rebelles se ostendant. Idiopathicae sympathicis ominosiores generatim sunt. Vehementia et diffusio necessario gravitatem portendunt, sed non constanter; consensus enim vi multiplicia nervea phaenomena saepe excitantur. Neuroses recentes, ablatis causis, vel sedatis nervis, plerumque conticescunt; ex adverso inveteratae, habituales, efficacioribus quandoque praesidiis resistunt. Regularem ac periodicum cursum emetientes prae anomalis, irregularibus cedunt.

41. Nonnulla insuper sunt, quae bonum omen, et quae malum inferunt. *Bonum*, virium alacritas, aetates validiores, insignes vitae mutationes secundum naturam accidentes, salutares naturae nisus apparentes, commutationes neurosium in febres continuas, periodicas, vel in alias leviores, minusque periculosas, puta hypochondriasim, hysterismum. *Malum*, ubi spasmos excipiant convulsiones, tremores, paralyses: ubi delirium, sopor: ubi photophobiam, amaurosis, et ita porro. Neuroses demum cujusvis generis diutissime persistentes, temporis progressu vel innervationem perturbando, vel hujus fontem sistendo, exhauriendo, debilitatem, maciem,

summam mobilitatem, viriumque exhaustionem inducunt.

42. *Therapia generalis.* — Fugandis neurosibus sufficit interdum causarum ablatio, modo nova et congrua in nervos impressio a physicis vel moralibus potentiis excita, atque his ineptis, remediorum actio postulatur. Quare prima curandi ratio ad *causas*, et altera ad *neurosim* dirigitur. Illa dum causas tollit, ac neuroses praevertit, *prophylactica* evadit. Altera prout neurosibus abigendis, vel tantum moderandis aptatur, in *eradicativam*, *palliativam*, modo *symptomaticam* tribuitur. Neurosium pariter medela si indoli opposita vehitur, *directa*, *rationalis*; secus *indirecta*, *alterans*, *revulsiva*, *antagonistica* vocatur.

43. Ex allatis colligitur, primum Clinici opus in curandis neurosibus illud esse, quo investiget, an materialis causa irritans subducenda, vel compingenda sit. Quae, ubi traumatica, auferenda, emendanda: ubi saburra gastrica, aut verminosa prostet, emeticis, catarticis, anthelminticis everrenda: ubi retentio catamenialis, haemorroidalis, vel congestio abdominalis, alterave fuerit, appositis sanguinis detractionibus generalibus atque localibus, prospiciendum ipsi erit.

44. Accidens, ut neuroses ex sanguinis aliorumque praestantiorum humorum profusione insurgant; nunc pro indole causae, phlebotomiis singillatim revulsivis et antiphlogisticis, acidis, gelidis, nunc adstringentibus, roborantibus nitendum, ut illa si-

statur, ac in pristinum humores componantur, temperanti regimine aliquantisper servato, vel tonico, nutriente.

45. Sed enim neuroses plurimae sthenicum quoque ingenium praeseferunt, utcumque vulgus contrariam gerat opinionem. Saepius ergo mittere sanguinem expedit, concesso quod ob minorem tolerantiam cautius educatur. Suum inde locum inveniunt deprimentia speciatim in nerveum systema agentia, vulgo *sedantia* dicta, electivis selectis pro varia neurosis sede; quorum praecipua memorare hîc sufficiat, nempe praeparata varia, et extracta potissimum aquosa vel hydro-alchoolica, hyosciami nigri, aconiti napelli, atropae belladonnae, daturae stramonii, lactucarum, lactucarium, thridacem, acetatem ipsum morphinae, codeinam, etc.; vel ex regno minerali petita, oxydum, sulphatem, valerianatem zinci, subacetatem plumbi, subnitratem bismuthi, etc.

46. Praepollente autem orgasmo vasali, aequius conducunt pulvis, infusum et extractum foliorum digitalis purpureae, secalis cornuti: aquae, mixturae cyanogenatae, et acidum hydrocyanicum ipsum ad usum praecipue externum; ac tandem praeparata martialia, potissimum lactas, subcarbonas, sulphas ferri, vel aquae minerales acidulae, acidulo-ferrugineae; eademque virtute pollent composita quaedam in formulariis tradita, vel pro adjunctis conficienda, quorum utilitatem experientia demonstravit.

47. Concurrente rheumatica, arthritica, herpe-

tica, syphilitica, alterave complicatione, dictis conjungere, vel subjungere juvabit blanda diapnoica, ut infusa, decocta dulcamarae, verbasci, tilliae europeae, cum nitro, subacetate ammoniacali; antimonialibus, sulphureis, mercurialibus, ubi opus, additis. Nunc vero praestat actuosioribus uti, scilicet decoctis ex smilace salsaparillae, guajaci, sassafras, vel syrupis ex hisce aliisve compositis, ceu D. Savaresi, aut De Laffecteur etc.; tum extus rubefacientium, epispasticorum, pustulantium applicatione. Subinde aquae minerales potissimum sulphureae ad usum internum, atque externum balneorum, lotionum, hinc confervae, luta sulphurea localiter admota, complicationem et neurosim debellare saepe valent.

48. In eamdem medendi methodum insistere oportebit contra neuroses secundarias ex phlogosis, vel congestionis sequelis, ut ex infarctibus, obstructionibus, indurationibus, vel ex aliis abnormibus productis emergentes, ex quorum resolutione, illa quoque neurosium pendet.

49. Cum neuroses ex perturbata innervatione, vel ex inaequali hujus distributione, exquilibritate, aut etiam ex sensus motusque irregularitate constituantur, atque causa mere dynamica, vel moralis easdem provocaverit; in primis corporis et animi quiete, causarum omnium fuga, remotione, deinde sedantibus, balneis, revellentibus, antagonisticis praesidiis curandum, ut potentia nervea, vel vis sentiens, vel motrix ad normam iterum reducantur. Verum

saepenumero accidit, ut ob tumultus nervei causam, reactiones vasales excitentur, ac congestiones parentur, quas aliqua sanguinis detractione, et lenibus antiphlogisticis resolvere expedit.

50. Quotiescumque e converso neurosium essentia asthenica dignoscitur, animadverteris, num cum *mobilitate* vel *torpore* conjungatur. Prima namque se exhibente forma, opiata singillatim indicabuntur; secus torpente, languente fibra nervea etiamque musculari, stimulantia nervina diffusibilia, aeque ac permanentia speciatim conducent.

51. In primo nempe asthenicarum neurosium genere, opiata exquisitiorem innervationem, sensibilitatem, atque mobilitatem infringere censentur, dum vim addunt potentiae nerveae, ut in pristinum restituatur. Usitatiora huc veniunt opium concretum, gummosum Plenchii, tinctura thebaica, laudanum liquidum, aliaque in opportunis vehiculis excepta, vel pillulari forma administrata.

52. In altero, ad excutiendum systema nerveum, hujusque actiones varias promovendas, excitantia directa et absoluta ad rem faciunt. Quae praestant, plantae aromatico principio, vel oleo volatili, eoque magis essentiali scatentes, ut coffea, laurus camphora, cinnamomi cortex, melissae, camomillae, nux moschata, vomica, strichnina, etc.; hinc vinum, alkool, alkoolates, aetheres, tincturae variae, balsama, ammoniaca liquida, olea empyreumatica, et producta animalium, ceu castorei, zibethi, moschi; hinc linimenta volatilia, camphorata, canta-

ridata, balsamica, ad usum frictionum, unctionum; scopus enim est, novum fere vitalem impulsum, et sensum, aut motum partibus deficientibus imprimere.

53. Nonnumquam ob debilitatem primariam organorum digerentium, ob sanguinis penuriam, dyscrasiam, ineptamque assimilationem vires nervorum collabuntur, et multiplex nervosorum effectuum turba erumpit; in his adjunctis, ad vires radicitus erigendas, consonum praesertim est, amara, tonica analepticis nupta, tum martialia invocare, spe freti, ut meliori notae chylo et sanguine confectis, nervorum functiones secundum naturam reproducantur. Simulque pro ventriculi tolerantia, gradatim victus nutriens, ac eupeptus, indeque roborans: aer purus, apricus: corporis exercitia pro viribus, et animi gratae distractiones suam quoque operam conferent.

54. Torpente, aut languente vi nervea, cui auxilium reliqua non attulerint, electricitas subvenit. Vario modo haec corpori infunditur, vel ex phiala leydensi, vel ex pila voltaica, vel ex electro-magneticis nuper inventis apparatibus deprompta. Hujus enim ope compertum est, nervos mirifice excitari, vitales motus augeri, partes calefieri, sensum recuperare, vel in motum iterum adduci. Nec eamdem deesse vi quadam resolvente chemico-vitali, ex polo cupreo excerptam, nuperiora quaedam observata et experimenta demonstrarunt; adeo ut in inveteratis neurosibus ex materiali quadam causa, tentandam esse, ratio suadeat.

55. Verbum autem de *acus* ac *electro-punctur'ae* agendi modo singulatim innuimus. Gravissimi enim Auctores putant, nec injure, ab acus-punctura electricum fluidum, vel nervosum huic affine alicubi redundans elici, ac ad aequilibrium componi; contra ab electro-punctura fluidum in corpus introduci, adeo ut in oppositis adjunctis salutares effectus praestent; qua de re iterata experimenta pronunciabunt. Nova pariter tentamenta ostendent, quae vera sunt, et quae speciosa in magnetismo animali, et quid adversus neuroses quasdam reipsa possit.

56. Ad rebelles demum neuroses extirpandas, quas organica causa jam foveat, vesicatoria, pustulantia, cauteria, fonticuli, setacea, moxae ustio, cauterisatio actualis vel potentialis, ac nervorum recisio quondam, cum emolumento atque etiam radicali curatione instituta fuere. Cunctandum denique nec desperandum; tempus enim, aetates, accidentia, peregrinationes, rusticationes, itinera, mutationes in vitae genere, inexpectatas medelas attulerunt. Quamobrem insanabiles vix unquam declarandae neuroses.

57. Longo proinde temporis lapsu, diaeteticum regimen opportunum, atque consentaneum usum rerum connaturalium protrahere oportebit: curatione morali addita, scilicet ratiocinatione, persuasione, piisque fraudibus, et quibusque ad rem facientibus impressionibus arte excitis, ut qua potestate mens et animus in systematis nervei physicum statum pollent, ad neurosium medelam contribuant.

DE NEUROSIBUS SINGILLATIM

ORDO I

Neuroses innervationis

(Neuropathiae)

58. Cum praecipuus innervationis fons e centris nerveis, gangliisque in specie, et a nervis organicis aliisque accessoriis, ad partes devehatur; ita horum et illorum laesiones, innervationem perturbant, vel interrumpunt, ut neuropathiae consequantur, quae ab aliis neuroses *ganglionares*, aut *vitae organicae* denominantur. Innervationem sane praecipuam nervus intercostalis largitur: huic tamen adjungitur pneumogastricus.

59. Innervationis autem vi partes omnes corporis *sensibilitatem organicam* dictam, vel *impressionabilitatem* ad persentiendos stimulos vitae proprios aquirunt, atque una simul aptitudinem ad naturales motus obeundos. Quare toties quoties functiones organicae ex nervorum culpa alterantur, laesam significant innervationem, ac *neuropathia* habebitur.

60. Principes neuropathias ex nostra quidem sententia, *febres periodicae* suppeditant; at de his ad nos non attinet dicere. His adderemus *hypochondriasim* et *hystheriasim*, nisi composita harum pa-

themata poscerent, ut inter neuroses potius mixtas collocentur. Prostant autem speciales aliae, quae ad varios apparatus vitae organicae referuntur, de quibus sermonem inimus. In his expendendis, neuroses potissimum intercostalis, ac pneumogastrici etiam per eam partem qua ad actus *organico-functionales* confert, peculiariter contemplabuntur.

CAPUT I.

Neuropathiae apparatus digerentis.

61. Neurosibus innervationis organicae laborare viscera digerentia, vulgaria observata nerveum influxum erga digestionem ostendentia, et experimenta in brutis capta, ac morbi quidam eas confirmant. Istarum sedem pneumogastricis aeque ac intercostalibus nervosis ramis, vel alterutris inhaerere passim reputabis, si ut experimenta docent, utrique ventriculi motus excitant, ac secretionem succi gastrici directe vel indirecte promovent. Verum pneumogastrici ad complexos ventriculi motus, et intercostales ad eos arteriarum ventriculi et intestinorum, ideoque nutritivos et secretorios, atque eorumdem organorum vermiculares, ut ait Longet, nec non suctorios vasorum chyliferorum praesertim regendos designati videntur. Idcirco eorum neuroses aliquo modo discriminantur; non reticebimus tamen, plerumque conjungi.

Liquet ergo digestionem sub influxu cerebro-rachideo, atque nerveo ganglionari positam esse, quo admisso ut oportet, vitia digestionis nervosa tum idiopathica cum simpathica multa explicabuntur. Ad haec praecipua revocamus *dyspepsiam*, *vomitum* ac *ileum* nervosae indolis et originis; quae seorsim exponemus.

Articulus 1.

Dyspepsia.

62. Digestio lenta ac difficilis, imperfecta, ex nervorum caussa, *dyspepsiam essentialem* constituit. Alias vero *symptomatica* vel *sympathica* accidit.

63. *Dyspepsiae conjuncta.* —Qui hac neurosi laborant, simul ac alimenta ingerunt, stomachi plenitudinem et pondus experiuntur, ac modo dolorem obtusum ad epigastrium, somnolentiam, lassitudinem universalem, atque paullo post nauseas, oris siccitatem, ructus acidos, capitis gravedinem, cephalaeam, indeque alvi constipationem, diarrhaeam aliquando, flatulentias; tum ad tristitiam, hypochondriasim iidem propendunt. Illud interim notatu dignum, quod dyspepsiae subjecti, eupepta quaedam male digerant, et vicissim dyspepta nonnulla aequius concoquant: et quae hodie, non amplius crastina die aequaliter subigant.

64. Varii dyspepsiae gradus occurrunt. Mitior

cum sanitate vix turbata conjungitur, estque simplex ac localis ventriculi et intestinorum indispositio. Gravior autem dyspepsia marcorem pedetentim inducit; nec raro gastritidem chronicam, vel cancrum ventriculi comitatur.

65. *Causae.*—Nervosi, desides, literati, contristati, dyspepsiam patiuntur. Quam producere solet victus copia et qualitate inopportunus. Chronica modo gastritis et gastralgia eamdem post se trahere valent. Causa ejusdem proxima in innormali supra digestionem innervatione organico-vitali et motoria constituenda videtur; quarum illa ex intercostalis ramis, et altera ex iis pneumogastricorum speciatim adduci fertur, alterutra tum utraque ad secretionem succi gastrici perturbandam imminuendamque apta ex experimentis demonstrata.

Ex quibus consequitur dyspepsiam alterutrius nervi affectum esse posse, sed potissimum intercostalis. Horum vero *erethismus*, modo *irritatio congestiva*, modo *asthenia*, innormalitatem innervationis portendunt.

66. *Diagnosis* ac *prognosis*. — Dyspepsia ex laboriosa, tarda, imperfecta digestione citra morbum alterum essentialem cognoscitur. Simplex manet, donec limites suos non excedit, nam in gastralgiam vel gastritidem chronicam facile transit, uti harum sequela frequenter est. — Simplex, molestum, diuturnum morbum, vires universales pessumdantem sistit; contra illegitima, phlogistica, vel eo pejus cancri symptomatica, ominosa redditur.

67. *Therapia.* — In omni dyspepsiae varietate, eadem praesidia non conveniunt. Vigenti enim erethismo nerveo ventriculi, jam gelida, mox temperantia, uti aqua amygdalarum amararum, emulsum hyosciami seminum, et aquae acidulo-carbonosae succurrunt. Occurrente irritatione congestitia, sanguisugium etiam iteratum postulatur. Contra in ventriculi asthenia, amaro-tonica blanda, ceu infusum florum trifolii fibrini, ligni quassiae amarae, absinthii, tinctura rhabarbari aquosa, et chinacea opem afferunt. Congruum inde regimen, in omnibus vitae necessitudinibus moderatio, et adversitatum moralium fuga aut rationalis tolerantia, dyspepsiae medendae, et avertendae conferunt.

Articulus 2.

Vomitus. — *Ileus nervosus.*

68. Praecedentibus nausea et sensu animi deliquescentis, cum totius corporis malo affectu, vertiginibus, horroribus, *vomituritio*, *vomitus* accidere consuescunt. Excitatur nempe motus inversus ventriculi, aesophagi, ac pharyngis, per quem adjuvante musculorum abdominalium contractione rejiciuntur quae in ventriculo continentur.

69. Vomitus ab expulsorum natura *saburralis*, *mucosus*, *gastrico-biliosus*, *porraceus*, *nidorosus*, etc., dicitur. Vacuo autem stomacho, vomitus *siccus* dicitur.

70. Vomitus symptoma commune est irritationis

atque phlogosis ventriculi: ac primus subnomen accipit potentiae irritantis ex qua provocatur. Idem nonnunquam symptomaticus vel sympathicus cerebri, aut medullae spinalis laesionum, praecipue commotionum accidit. Nec inficiari potest aliquando ob hypercinesiam ventriculi, primarium ac substantivum contingere. Salutaris et criticus nec praetermittendus.

71. *Concomitantia.* — Ad vomitum proni experiuntur, anxietatem praecordialem, pectoris oppressionem, dyspnaeam, cardiopalmum, saepe obfuscationem sensuum, ac tremorem universalem, deinde ructus, motus sublevationis ad epigastrium, copiosam salivationem et expuitionem, ac demum evomitionem, post quam prostratio virium universalis remanet, quam somnus instaurans saepe componit.

72. *Caussae.*— Nimia totius systematis nervei ac praesertim ventriculi sensibilitas, itemque irritabilitas, ad vomitum opportunitatem constituunt. Hunc excitant praeter sordes quascumque, ingrati sapores, nauseabunda alimenta, emetica, purgantia, et pharmaca quaevis pravi gustus, vel idiosyncrasiae contraria; atque citra has immediatas causas, nervorum ministerio, graviditatis initium, vehementes animi conturbationes, ac motus corporis in navi, etiamque rheda; insuper commotiones cerebrales, spinales, aliaeque in ventriculi nervos reflexae; e quibus postremis vomitus praecipue nervosus producitur. — Caussa proxima vomitus in pneumogastricorum ramis gastricis, erethismo, irritatione

tactis, qua parte motorii sunt, quaerenda plerumque ducitur: non excluso alias intercostali in vomitu sympathice excito a neurosibus spinalibus vel plexus solaris, quemadmodum in vomitu *nephritico*, *hysthérico*, etc.

73. *Diagnosis* et *prognosis*. — Vomitus per se patet, sed cujus naturae sit, et an primarius vel symptomaticus, vel sympathicus occurrat, decerni praestat. Id retineas, vomitum nervosum vacuo potius stomacho accidere, periodicum saepe esse, atque sedantibus, modificantibus, vel alterantibus, revulsivis, subigi. — Vomitus sponte promotus ad incongrua repellenda, curatorius est. Crisim aliquando molitur sympathice excitus. Habitualis et inveteratus remediis diu obsistit. Vomitus foetidorum, corruptorum, vitium organicum ventriculi, aut viscerum circumpositorum in suspicionem ponit, ac saepe revelat.

74. *Therapia*. — Vomitus vomitum curat ex Hippocratis dicto, si ventriculum obsideant sordes; hic ideo per se ineptus, blande fovendus. Curatio symptomatici et sympathici ad morbum praecipuum dirigenda, vomitu palliato sedantium ope si vehementior fuerit. Vomitus autem nervosus pro hypercinesiae gradu aggrediendus sanguinis etiam missionibus generalibus, atque praesertim sanguisugio epigastrico, aut unis extractis hyosciami nigri, aconiti napelli, cicutae, ac singillatim magisterio bismuthi (subnitrate bismuthi); quibus palmam extollunt opiata, cum ex mobilitate nervea procedat.

75. Utilem alias concursum praestat, imo vomitum sistunt aquae carbonizatae effervescentes, uti selteriana, alterave, citrico, aut alio grato sapore praeditae, *gazeuses* vulgo dictae; quarum repetenda actio est a gaz acidi carbonici temperante vi, spasmum ventriculi compescente. Cui effectui efferendo nonnunquam sufficiunt una gelida, vel aquae cyanogenatae, amygdalarum amararum, dilutae et edulcoratae.

76. Cum a nimis acido vel alkalino succo gastrico nervos ventriculi percellente vomitus proficisci dignoscatur, non alia ratione quam neutralizantibus, primum magnesia principe, alterum succo citrico, vel acetico, vel aqua acido-carbonico satura, sistitur. Pertinax et jam inveteratus vomitus, nisi a vitio organico pendeat, epispasticis ad epigastrium applicitis quondam dispellitur, ut constat ex Tommasinii, aliorumque observatis. Vomitus et ipse ex processu organico fotus epispasticis quoque, cauteriis, fonticulis novum morbosum processum revulsivum creantibus, ac palliativis internis, ad tempus saltem moderatur.

77. Ileus nervosus non alio modo ac vomitus produci censetur: nimirum per motum antiperistalticum intestinorum. Hunc enteroideae intususceptiones, herniae secundariae, ac vomitus stercoracei, lacerationes intestinorum consequuntur. Ileum provocant interdum venena, ac ingesta depravata, atque nunc dirissima enteralgia, hystherica passio, et perturbationes nervosae gravissimae. Ex abnormi

actione intercostalis, tum et illa pneumogastrici ut motorii adjecta per reflexionem, ileum nervosum provocari, autumatur.

78. Tam ominoso et horrendo morbo sedando, mactet clinicus ex qua causa reipsa proficiscatur. Cum enim ab ingestis provocetur, demulcentia, oleosa purgantia, clysmata emollientia ad rem faciunt. Ex tumultu nervoso excitus, nunc prompta sanguinis missione, sanguisugio abdominali, nunc fotibus, cataplasmatibus oleo hyosciami, atropae belladonnae irroratis, ac balneis tepentibus, etiamque sedativis, tum narcoticis, opiatis ad usum internum compescitur. Intususceptioni junctus, vel ab eadem genitus, emollientibus ac sedantibus, vel ut alii volunt, plumbo, stamno, metallicis, ob propriam gravitatem agentibus tolli fertur. Herniae in causam occurrenti, juxta artis chirurgicae praecepta providendum.

CAPUT II.

Neuropathiae apparatus uro-genitalis.

79. Quotidiana observatione edocemur, ubi systema nerveum perturbatur, urinas copia et qualitate mutari, scilicet augeri utplurimum, et aqueas emitti, sic ut inter vulgaria neurosium signa, ex consensu clinicorum, reponantur. Exinde patet quocumque mediato ministerio id accidat, sub immediato nervorum organicorum influxu, urinam praeternaturam secerni; quod aliunde experimentis data opera institutis, Krimmer, Müller et Pepers, atque Valentini

demonstrarunt. Colligitur hinc etiam, cur celebres viri originem quandoque nervosam diabetis tuiti sint, ac opium ejusque praeparata, adversus exaltaverint: ut e converso suppressionem ac retentionem urinarum ex caussa nervosa centris vel nervis inhaerente pendere aliquando constat.

80. Compertum pariter est quam nerveum systema in spermatis secretionem et ejaculationem influat; quantumque in apparatum generationis foemineum, dominium exerceat. Utrumque recolitur vel ab effectibus quos obscoenae cogitationes, effigies, ac erotici affectus in genitalibus provocant: tum ab aphrodisiacorum quorumdam actione medullam spinalem et nervos directe percellente: cum ex quibusdam morbis cerebello-rachideis; sub quibus copiosius parari sperma, vel etiam indole fortasse mutari, atque *satyriasim*, *nymphomaniam*, *pollutiones* excitari, observatio testatur. Vicissim ob astheniam nervosam, vel et ob severam continentiam languere vires organico-vitales ejusdem apparatus, hinc proprias secretiones imminui, ac demum inertiam, atrophiam partium subsequi, narratur. Quare exaltationi nerveo-genitali moderandae, emendatio morum, regimen temperans, et localis frigidorum admotio primam operam praestant; alteramque efficaciorem sedantia specifica pollicentur. Contra, victus analepticus, et aromatica, balsamica innervationem ad genitalia promovent. Sed de his iterum cum aberrationibus sensus *aphrodisiaci* dicemus.

CAPUT III.

Neuropathiae systematis sanguinei.

81. Interdum cor et vasa majora, itemque minora atque capillaria, laesiones innervationis experiri jam Morgagni et Senac, atque nuperius Piorry, Boulliaud, aliique plures animadverterunt. Iis accensentur 1° neuropathiae cardiacae, idest *cardiopalmus, lypothimia, syncope;* 2° neuropathiae *arteriarum, venarum*, atque *capillarium*. Cerebrum et medulla spinalis nervorum ministerio supremum influxum in systema universum exercent: immediatum vero surculi pneumogastricorum ad cor et majora vasa diffusi, ac intercostales potissimum ad vasa omnia, ideoque ad sanguinis circuitionem ac multiplices actus vasorum regendos designati adferunt; quemadmodum praeter anatomem, experimenta Magendie et Dupuytren, Brachet et Valentini luculenter demonstrant. Quapropter in neuropathiis systematis sanguinei, laesiones praesertim nervi intercostalis expensuri sumus.

Articulus 1.

Cardiopalmus.

82. Cardiopalmus idem est ac cordis palpitatio, vel exageratio motuum cordis. Symptoma frequentius, ac nonnumquam morbus essentialis.

83. *Constitutiva.* — Cordis motus abnormes, concitati, in regione cardiaca et circumambientibus thoracem validis ictibus percutientes, cum pulsuum aucta vi et inaequalitate, cumque anxietate praecordiali, dyspnaea, aliisque pathematibus, ac in convulsiones lypothimiam saepe finientes, morbosum cardiopalmum adesse significant.

84. Cardiopalmus indivulsus ferme est a cardiopericarditide, a pyrexiis et a phlegmasiis vehementioribus, diffusis, nec non inconstanter a vitiis organicis cordis; tum hystheriasim, hypochondriasim, chlorosim, et affectus propemodum omnes nervosos pasim comitatur. Verumtamen ex animi commotionibus, nec non aliquando ex speciali nervorum cardiacorum affectione cardiopalmus primarius vel essentialis, reipsa *nervosus* excitatur, et hic sponte recurrit.

85. Nervosus hic cardiopalmus per accessus interdiu, noctuve prehendit absque causa saepe manifesta, et copiosa suboriente cutanea transpiratione utplurimum cessat: nunc prorsus abiens, nunc brevi rediturus.

86. *Caussae.* — Cardiopalmo singillatim obnoxii vivunt irritabili fibra praediti, mobilitate nervea praestantes, ceu infantes, hypochondriaci, hysthericae, chloroticae, tum plethorici aeque ac anhaemici, et vitia cordis organica ferentes. Eidemque occasionem perhibent citra traumaticas pectoris commotiones, ae., isto rarior excelsarum atmosphaerae regionum, idemque calidior, potus ardentes coffeae, theae, aliique ardentes, pharmaca calefacientia, violenta corpo-

ris exercitia, vehementes animi affectus, speciatim laetitia, ira, terror; hinc praedicti morbi, quorum symptoma idiopathicum, vel sympathicum se sistit cardioplamus. — Hujus nervosi conjuncta caussa nunc *nerveo-sthenica*, nunc *nerveo-asthenica* est.

87. *Diagnosis* ac *prognosis*. — Tactui, visui, et auditui obvia se praebet cordis palpitatio. Symptomatica habebitur quae adnotatos morbos stipet. Nervosa ex adverso quae morbo quoque eidem primario absente, nerveam originem ac indolem accuset. — Gravis ad sensum et minax haec passio cardiaca, vix quam metum saepe incutit. Ejus vero intensitas, constantia, duratio, in morbis cordis, aliisve etiam, consectariorum plena sunt. Ejusdem unus frequens recursus, quamvis ex dynamica causa procedat, vitiis cordis organicis, speciatim aneurysmatibus favet, nec non congestionibus viscerum majorum ac proximiorum ansam praebet.

88. *Therapia*. — Ad cardiopalmum sedandum conducunt primum quies animi et corporis, ac stimulorum omnium remotio. Deinde a plethora ortus cardiopalmus, venae sectionibus ac sanguisugiis ad praecordia, vel ad haemorroidalia vasa institutis profligatur. Ab hypercinesia nerveo-musculari genitus, depletionibus quoque sanguineis, et auxilio digitalis purpureae, extracti aconiti napelli, vel secalis cornuti, vel potionibus aquam coobatam lauro cerasi excipientibus, simulque potionibus nitratis, citricis, gelidis, pedetentim compescitur. Ille pariter legitimae nervosae originis sed sthenicus, extractis, syrupis

sedantibus, et frigidorum ad praecordia admotione, ac linimentis cyanogeno saturis; tum insuper ferrugineis, ceu lactate, carbonate, sulphate ferri, debellatur. Cum vero ex mobilitate nervea procedat, mixturae cardiacae ex aquis aromaticis factae cum additione aetherum, vel tincturarum aetherearum moschi, castorei, laudani liquidi, vel camphorae derasae, assae foetidae, etc., perfunctorie prosunt; ac martiales tincturae radicalem successum pollicentur.

89. Vix quam palliativam medelam admittit cardiopalmus identidem ob vitia organica cordis, aut majorum vasorum insurgens; atque huic moderando nunc aliqua sanguinis missio nimio stimulo cor exonerans, nunc hyposthenizantia cardiaca, nunc paregorica, valent. Prophylaxi cardiopalmi cujusque studebit, qui omnia declinet quae vitales cordis vires intendere paria noscuntur.

Articulus 2.

Ecclysis — Lypothimia — Syncope.

90. Cardiopalmo adversantur *ecclysis*, *lypothimia*, et *syncope*; quae gradu tantum inter se differunt.

91. Ecclysis pro momentanea cordis et viriuin universalium defectione sumitur. Lypothimia sive *animi deliquium* vocatur, subitaneus vel pedetentim accidens cordis motuum languor ac propemodum defectus plus minusve durans, cum pulsibus et respiratio-

ne fere insensibilibus, cumque calore primum fugaci, dein virium generali resolutione, pallore faciei, tremore, frigore extremorum, ac sensuum pene omnium imperfecta feriatione. Horum infimus gradus syncopem constituit, quae dicitur abolitio motuum cordis indeque respirationis, ac sensuum, et vitalium ferme omnium actionum, mortis imaginem referens.

92. Ecclysis et lypothimia fugaces saepe effectus sunt animi pathematum, vel subtractionis promptae stimulorum corporis internorum, sanguinis etc.; hinc brevi cessant, ac pedetentim resurgunt pulsus et motus cordis, iique respirationis, mox sensus ac naturales motus reproducuntur, una superstite ad aliquod tempus virium debilitate.

93. *Prodroma* et *comitantia syncopis*. — Longior esse solet animi et virium defectus in syncope. Haec vix ullis prodromis missis aliquando corripit, quum ex improviso et gravissimo animi affectu procedit. Secus incipit a lypothimia sensim crescente, vel a magna virium prostratione, capitis gravedine, mentis et sensuum externorum obnubilatione, pectoris constrictione, oppressione, cardiopalmo; subinde facies pallescit, friget, caput collabitur; modo nausea, vomitus prehendunt, et convulsiones, sudores frigidi thoracem atque caput operiunt; dein linquet animus, feriantur prorsus sensus, loquela, et motus voluntarii, una dum pulsus filiformes, vix perceptibiles, aut intermittentes, nulli, uti et deficientes, rari, respirationis motus redduntur. Hic rerum status ad horas saepe durat, mox cessat, ac re-

vertitur quandoque, sic ut ex iterata syncope verenda mors sit.

94. *Signa necroscopica.* — In extinctis per syncopem, cor sanguine turgidum apparet, ni ab anhaemia provenerit: contra pulmones atque cerebrum sanguine ferme vacua reperiuntur; quod jure repetit Bichat a suppressa cordis actione, ita ut sanguinem ad alia viscera impellere amplius nequeat.

95. *Caussae.* — Exquisitius sentientes, debiles, foeminae praesertim hysthericae, gestantes, parturientes, puellae amenorrhoicae, chloroticae, vel a profusis menorrhagiis extenuatae, ac mares hypochondriaci, nec non morbis cordis organicis laborantes, in syncopem praesertim incidunt. Hanc determinant traumatico modo agentes, vehementes ictus, pugillatus ad praecordia, luxationes vertebrarum cervicalium, commotiones cephalicae, rachideae. Dynamice, odores acutiores, vel idiosyncrasiae contrarii, horrendorum, vel antipathicorum conspectus, dolor acutissimus, animi pathemata de repente corripientia, speciatim gaudium inexpectatum, pavor, terror, moeror gravissimus; insuper ea quaeque cordis vires magnopere debilitant, ceu acidum hydrocianicum, digitalis purpurea, altiores emetici doses, hypercathartica, etc. Quibus addere oportet retentiones fluxuum sanguineorum, tum naturalium cum habitualium, ac eo magis profusas haemorrhagias, spermatis ejaculationes, febres perniciosas, *syncopticas* dictas: et obices quosque libero sanguinis circuitui trans cor, arterias ma-

jores, venas cavas, pulmones, utpote valvularum ossificationes, insufficientias, coarctationes orificiorum, dilatationes cavitatum, polypos, aliaque concrementa intra cor et vasa degentia: nec non aliquando tubercula pulmonalia.

96. Causam essentialem syncopis inquirentes, varias protulere sententias. Jamdiu Morgagni convulsionem, aut paralysim cordis sibi finxerat. Quam opinionem revocavit Bichat, cunctas syncopis pathemata derivans a cessante sanguinis ad cerebrum impulsu. Piorry ex adverso censet, a primaria cerebri affectione syncopem jugiter proficisci. Sed illaeso saepe cerebro adventat, et ex quocumque centro nerveo syncope proveniat, immediatam nervorum cardiacorum affectionem proxime excipit. Idcirco caussam immediatam inhaerere cordis nervis aut cordi ipso: mediatam tantum ex cerebro, medulla spinali, aliisve nervis aliquando procedere: atque eam in cordis *spasmo* vel *paralysi* consistere reputamus.

97. *Diagnosis* ac *prognosis*. — Primo intuitu cum apoplexia et asphyxia confunditur syncope. Verum hanc ab apoplexia secernunt primaria cordis motuum cessatio, et vicissim cordis actio utplurimum in apoplexia permanens, aut vix laesa, et aliqua utplurimum paralysis. Ab asphyxia aegrius distinguitur, atque haec nonnisi ex indagine specialium ejusdem causarum, phaenomenorum successione, ac subfusco cutis et faciei praesertim colore, colli turgore, a syncope discriminabitur. — Ista vix unquam

metum non incutit; attamen in hypochondriacis et hysthericis contingens, vel ex sanguinis alteriusve humoris insignis missione, jactura, non tamen immodicis, vix unquam ominosa deprehenditur. Ex causis dynamicis, ac praesertim ex immaterialibus animi pathematibus inducta, non magis verenda: at multum quae ex vitiis organicis adducitur. Qui enim adnotante jam Coo Sene, *crebro et fortiter linquuntur sine causa manifesta, de repente moriuntur.* Spontaneae hujusmodi syncopes profecto ab iis causis, quas hodierna aetas in obscurioribus cordis, aut vasorum morbis organicis saepe detegit, produci cognoscuntur.

98. *Therapia.* — Simul ac ad syncopticum pervenit clinicus, ligaturas omnes solvere jubeat, caput declive, et brachia elata disponere, faciem frigida aqua inspergere, aetherea naribus admovere, ac frictiones rudes super artus, et ad praecordia instituere. Interea explorabit ipse, an plethora opprimat cor, an ex anhaemia defecerit, an sympathice nervoso alteri affectui, vel irritationi saburrali, verminosae accesserit, aut idiopathicam nervorum cardiacorum affectionem sistat. Quare 1° sanguinem detrahet; 2° juribus analepticis, calidis ad praecordia fomentis, potionibus cardiacis, vino austero vires et sanguinem quo promptius instaurabit; 3° prospiciet morbo principali; 4° antispasmodicis vel stimulantibus nervinis utetur, prout ex spasmi vel atoniae paralyticae causa productam syncopem noverit. Camphora, assa foetida, valeriana, aetheres,

opiacea inter prima se offerunt. In aliorum censum veniunt grata aromata, alkoolates varii, ammoniaca, moschus, castoreum, etc.; atque his non sufficientibus, nucis vomicae tenuissimum pollen, extractum, strichninam parcis et circumspectis dosibus tentabit; prout ad usum externum frictiones fient cantharidatae, camphoratae, ammoniacales supra thoracem, synapismata, et rubefacientia, vesicantia *extemporanea* dicta, moxa urenda, ferrum candens applicabuntur. His autem omnibus praevalet aliquando electricitas polo altero ad cervicem et altero ad praecordia, ducta. Nec ullus certo certius praetermittet, cum syncope febris perniciosae symptoma fuerit, superato vel declinante paroxismo, citas et generosas sulphatis chininae doses praescribere.

99. Silentem actionem cordis ex hujus vitiis organicis renovabunt, modo sanguinis prompta eductio, modo exhilarantia, revellentia, excitantia; quorum delectus pro varietate adjunctorum fiet. Demum recidiva vitabitur, aut retardabitur, declinatis notis ejusdem caussis, et moderato rerum omnium connaturalium usu.

Articulus 3.

Neuropathiae arteriarum-venarum-capillarium.

100. Nervis organicis arterias, venas, et capillaria illaqueari, ac motu vitali proprio instrui, anatomes

physiologica docet; propterea aberrationibus nervosis quoque subjacere consequitur.

101. Indubium sane est quod vasa tumultus cardiacos multoties participent; sed ex observatis etiam constat, vasa ipsa quondam suis in motibus et actionibus ex proprio morbo perturbari. Atque primum arteriae ob intensiorem nerveum influxum actuosius pulsant, coarctantur, et irregularibus motibus agitantur; hinc locum habet *hypercinesia arteriosa*, vel *spasmus arteriarum*, ab auctoribus, et speciatim a Laennec, Bouillaud adnotatus.

102. Subinde aortae hic vel ille tractus, abdominalis singillatim, ac ejus praecipui rami, carotides in specie, praeter naturam oscillant, ictus molestos ac interdum dolorificos palpationi offerunt, et auscultationi undulatorium, obscurum motum, aneurysmaticas dilatationes saepe mentientes. Anhaemicae, chloroticae, hysthericae et hypochondriaci, convalescentes, dictis hypernormalibus motibus identidem afficiuntur; quos ad normam potius revocant sedativa praesidia, quam sanguineae detractiones a quibus imo non raro augentur.

103. Rami autem minores pulsum agitatum, dycrotum, inaequalem, intermittentem, decidentem praebent, quem a pari nervis laborantes, tum praesertim typhoidea febri affectos ei obtulisse narrat Bouillaud. Quapropter medela ad praecipuos nervosos affectus vincendos directa, pulsus naturalis reproducitur.

104. Spasmo alias corripi videntur arteriae, dum

arctius micant, et vix distinctas systoles ac diastoles exhibent, simul ac fremitum peculiarem sonorum auscultationi perhibent. — Contractili magis fibra praediti in adjunctis paullo supra citatis spasmo arterioso percelli videntur. Consonum propterea rationi est, ut hic quoque status nervosus arteriarum, narcoticorum auxilio, speciatim electivo infuso digitalis purpureae, extracto aconiti, balneis tepentibus solvatur.

105. Post vehementes animi affectus contingit etiam, ut ex reagentibus circuitus viribus venae pulsent, turgeant, atque nunc convelli videantur; dum e converso ipsaemet ob innervationis defectum in febre typhoidaea, in scorbuto, aliisque cacohaemiis tarde moventur, sanguine obruuntur, ac ad haematosim impares, sanguinem dilutum relinquunt, vel reddunt.

106. Numerosioribus autem nerveis surculis capillaria irretita, ac sub vividiori nervorum influxu posita, ex causis directis vel indirectis, tum physicis cum moralibus acrius percelluntur, contrahuntur, expanduntur, et multiplicia phoenomena pariunt.

107. Ipse nempe partium pallor, horror, vel contra turgor, erethismus, ex moralibus causis, vel et ab internis animi motibus, quemadmodum a pudore, exciti, non minus ac primaria irritationis origo, nerveam capillarium affectionem inculpant. Hinc prae spasmo, capillaria minorem sanguinis copiam recipiunt eorumque secretiones, caloricitas, etc. minuuntur; ac modo subsequente reactione expansiva

augentur. Dum alias ob *aneuriam*, actus omnes capillarium languent, ut in paralysi cum atrophia. Praestat in hisce adjunctis primum caussas repellere, effectus sedare, deinde temperantibus, vel incitantibus neuroses capillarium expungere.

CAPUT IV.

Neuropathiae apparatus respiratorii.

108. Cum respiratio sit functio organico-animalis, sub influxu nervorum pneumogastricorum magis quam intercostalium posita est. Idcirco illorum praecipue laesiones *neuropathias respirationis* inferunt. Hic tamen neuroses organico-motorias apparatus respiratorii speciatim exploraturi sumus, quibus *asthma nervosum*, *incubum*, et *asphyxiam* adnumeramus.

Articulus 1.

Asthma nervosum.

109. *Asthma* respirationis anhelitum reddit. Cum ex aliis caussis non procedit sed ex culpa nervorum, asthma *nervosum* dicitur. Respiratio in asthmate esse solet violenta, sonora, nunc difficilis, anxia, oppressa. Variae hinc ejus species recensentur diversis etiam nominibus distinctae: quas pro majori perspicuitate seorsim exponemus.

110. Duas protinus asthmatis nervosi species Laennec distinxit: quarum primam, asthma *sonorum*, idest cum respiratione puerili conjunctum; et alteram, asthma *spasmodicum* denominavit. Jam inde recepta erat partitio asthmatis in illud *infantum*, *Millar* etiam dictum, et in illud *adultorum*, plerumque chronicum. Juvabit denique recolere, asthma alterum *pulmonale*, et alterum *laryngo-tracheo-bronchiale* esse; ac quondam *musculare* nec ommittendum fore.

111. *Symptomata asthmatis communia.*—Asthma quodcumque, excepto sonoro Laennecii, subito vel post enunciatam ab oscitationibus, pandiculationibus et ructibus aereis invasionem, aggreditur constrictione ac oppressione pectoris, quae cubantem ad sedendum, captandum ore aperto aerem cogunt; hinc respiratio difficulter trahitur, frequens, anhelosa, brevis, sibilosa, cum ravide pariter sibiloso-stertoroso conjuncta. Percussus thorax prae normali generatim sonorus detegitur. Interim facies primum pallida, jam suffusa, inflata apparet, illacrymantur oculi, pinnae narium agitantur, vox, loquela praepediuntur, ac tussis anxietatem augens subnascitur quae muci densi, filamentosi expulsionem promovet. Post insultum urinae copiosae minguntur, grave, dolens caput manet, ac somnus aliquando excipit cum plus minusve longa remissione vel intermissione dyspneae; quae tamen minimis de caussis, ac noctu praesertim spontanea reddit.

112. *Asthma sonorum* Laennecii.—Distinguitur

ex abnormi, exaggerata, potius quam difficili respiratione, et ex summa respirandi necessitate: ac sono thoracico acutiori et respiratione puerili stipatum invenit auctor: tum ex nervosa laesione productum esse existimat. Hanc vel in erethismo pneumogastricorum, vel in nervis intercostalis feriata actione positam esse, ratiocinando adsequitur. Exinde frequens nimis excitatur sensus inspiratorius vel ob exquisitiorem sentiendi vim pneumogastricorum, vel ob defectum innervationis organicae in sanguinis oxydationem.

113. *Asthma spasmodicum* ejusdem auctoris. — Hoc, spasmo pulmonum tribuitur, et a sonoro differt ob incompletam et laboriosam respirationem, ideoque etiam ob multo minorem a thoracis percussione sonoreitatem, ac respirationis auscultatae perspicuitatem.

114. *Caussae.* — Utramque asthmatis nervosi speciem producunt, vehementes animi commotiones, excessus venerei, quondam odores peculiares, quaedam conditiones atmosphaericae, nunc podagra ad pulmones repercussa, nunc hypochondriasis, hystheriasis in actu. Ex his caussis propterea in nervos agentibus cum negativis anatomo-pathologicis signis, collatis, alterutrum nervosae laesionis effectum esse redarguitur. — Quare utrique pellendo, commendantur ea quae directe vel indirecte nervos opportuniter afficiunt; ac primum narcotica ex solanaceis praesertim deprompta, ut ex datura stramonii, aconito napello, atropa belladonna, hyosciamo, etc., modo

cyanogena: modo antispasmodica, ethaerea, quondam martialia, chinoidea, interdum emetica, nec non electricitatem, magnetismum, cum successu adhibuisse, Laennecius refert; neque inopportunam oxygenii inspirationem quamquam ab ipso nondum exploratam, in quibusdam adjunctis, censuit.

115. *Asthma Millari* seu *infantile* ratione adjunctorum seorsim describi quoque postulat. *Symptomata.*— Hoc ingruit praeviis catarrhi signis, per subitam e somno excitationem, cum gemitu, clamore, anxietate suffocatoria infantum, voce depressa, profunda, sibilosa respiratione, ac sensu oppressionis pectoralis, aerisque captatione avida, prout celeriter et inaequaliter micant cor et arteriae, extrema frigent, turgida, livida evadit facies, oculi prominent, collum inflatur; atque hic status per horae 1/4 - 1/2 durat, et resolvitur per sternutationem, ructus, vomitum, alvique excretionem.

116. Novus insultus recurrere solet post horas **12, 24**, aut dies **1, 2, 3, 4**; quin tamen intervalli tempore penitus libera fiat respiratio; imo anxii, moesti, debiles, languidi infantuli manent, quo gravius periculum sustulerunt, quo viciniores insultus acciderunt. Ex gravioribus, iteratis accessibus, pectus maxime opprimitur, et convulsiones generales saepe adduntur, inter quas aegrotuli plerumque occumbunt.

117. Necroscopia horum puerorum, signa inflammationis raro praebuit, imo pallidam viarum ae-

rearum mucosam, aut vix quam punctulis rubescentibus notatam reperiit.

118. *Caussae.*— Truculentus hic morbus corripit potissimum infantes a 1° ad 10um aetatis annum, tum eos constitutione sensiliori, irritabiliori, cum tenuiori organismo instructos. Excitatur a corporis refrigerio, ab aeris subitis vicibus aereas vias percellentibus; nunc a saburra gastrica aut verminosa per consensum; nunc vero ex vitiis organicis cordis; majorumque vasorum, *cyanosim* eodem tempore inferentibus.

119. Hujusce asthmatis caussa proxima in *dyspneumonervia* ponenda videtur; circa quam consentientes habemus, Millar, Wichmann, Vogel, Lentin, J. P. Frank, Huffeland, Richter, Raimann; etsi dissentientes se exhibeant Autenrieth, Conradi, J. Frank et Albers, qui tracheitidem inculpant. Ab hac tamen illud sejungunt: praelecti ab asthmate infantes delicatuli, sensiliores, contra a tracheitide robustiores, plethorici; leniter catarrhosa in initio asthmatis phoenomena, deinde nervosa, ac ejus brevis duratio absque febre: et vicissim continuus, magis permanens, phlogisticus tracheitidis apparatus; spasmi, convulsiones remittentes ut et intermittentes in asthmate vias aereas obstringentes: dolor et ardor ex adverso in tracheitide: nulla, aut secundaria phlogosis vestigia ab asthmate; constantia et essentialia ex tracheitide; ac demum in hac antiphlogisticorum proficuus usus, et in asthmate ille potius antispasmodicorum, vel specificorum, aliorumve.

120. *Diagnosis* ac *prognosis*. — Ex specialibus hujus constitutivis symptomatibus, atque ex invasionis modo, duratione, terminatione eruitur. — Asthma Millari periculo plenum est ob facilem ejus in asphyxiam et apoplexiam transitum. Periculi autem gradus ab intensitate, duratione et recidiva accessuum, nec non ab aegrotulorum conditionibus privis emetiendi.

121. *Therapia*.— In curatione asthmatis infantilis exulanda esse antiphlogistica, ut antispasmodicis locus fiat, Millar et Wichmann absolute nimis praeceperunt. Supremus enim erethismi nervosi gradus phlogosi proximus, vel haec ab eo jam producta, illa non prorsus respuunt. Imo praeparata hyosciami, belladonnae, stramonii, quae vim nerveam infringunt, generatim commendantur. Quod si nervea fibra sustinenda sit, vel peculiariter afficienda, libenter Millar et Wichmann adhaeremus praescribentibus assam foetidam ore vel recto excipiendam, moschum, oleum cajeput cum sacharo, radicem valerianae, extractum, valerianates, spiritum cornu cervi succinati in aptis vehiculis, vel et opiata varia infantibus accommodata. Utriusque generis praesidiis sulphur auratum antimonii utiliter addi, iidem narrant.

122. Ad usum externum laudantur pariter emollientia cataplasmata, collo, pectori apponenda, et balnea partialia ac generalia tepentia: nunc pediluvia irritantia, et vesicantia, pustulantia, rubefacientia, thoraci, brachiis applicanda: re-

motis interea, demtisque cognitis morbi caussis.

123. *Asthma spasmodicum adultorum.* — Hoc etiam ob peculiaria rationum momenta peculiariter exponendum. *Symptomata.* Virili in aetate corripiens asthma, incipere solet post ciborum ingestionem ab obtuso, pressorio dolore ad epigastrium, cum nausea, vomituritione, frequenti expuitione, cephalalgia gravativa, cutisque pruritu. Sensus inde constrictionis et oppressionis pectoralis suffocationem minitans oritur, qui magnam dyspnaeam inducit, ut asthmaticus electo surgat, vel erecto trunco insideat, fenestris, januisque apertis obviam aeri eat. Vox fere intercipitur, respiratio anhelosa, stertorosa redditur, pulsus inaequales, irregulares fiunt, vultuosa facies livescit, ac turget una dum collum: oculi prominent: artus frigent: urinae aqueae, vel nullae sub insultu minguntur: sistuntur quandoque motus cordis et respirationis, ac in lypothimiam accessus finem habet. Nunc vero tussis ac vomitus insurgunt, quibus cum strepitu mucosa congeries ejicitur, hinc defatigatus asthmaticus somno cedit, per quem calor augetur, sudor aequalis erumpit, et urinae coloratiores emergunt, dum solvitur prorsus omnis spasmus.

124. Asthma hujusmodi recursus quoque patitur, qui modo per diem, modo per noctem reproducuntur, interposito hebdomadae unius, alterae, vel et mensium plurium spatio, et aequinoctiis saepe exceptis, ad annos diffuso. Malo contra fato, pluries accidit, ut progressu temporis crebriores reddantur acces-

sus, usquequo asthma continuum remittens evadit.

125. *Caussae.* — Ad asthma virile contrahendum efferunt quidam dispositionem haereditariam vel congenitam, quam revelant mala pectoris conformatio, et consueta respiratio difficilis, anhelosa, brevis, ex vitio aliquando organico. Aquisitam saepe gerunt mares hypochondriaci, foeminae hysthericae, tum morbos graves pectoris non prorsus solutos passi. Delectatur morbus autumno et vere, tum in climatibus, locisque frigidis ac humidis. Mechanicam occasionem eidem praestant fractura, luxatio, curvatura vertebrarum, costarum ac sterni, ipsaque ossificatio cartilaginum costalium, et saepe numero vitia organica cordis, majorum vasorum, organorum respirantium atque eorumdem abdominalium. Dynamicam sufficiunt, aer frigidus et humidus, idemque impurus; pulveres subtiles inspirati: nimietas esculentorum ac poculentorum singillatim stimulantium: vehementiores corporis motus, cursus, ascensiones locorum acclivium; hinc etiam animi commotiones, profusae evacuationes praesertim succorum genitalium, et aliorum retentiones. His adjunges morbos plures seorsim thoracicos, qui asthma symptomaticum vel secundarium gignunt.

126. Liquet ex allatis, non unam eamdemque jugiter esse caussam immediatam asthmatis adultorum, sed nervis modo inhaerere, ut in asthmate primario etiamque sympathico; aliam et quidem variam offerre, modo pulmonum congestionem, oedema, emphysema, etc.; ac modo vitium organicum cordis, et

speciatim aortici arcus aneurysma (*), ossificationes, aliudque.

127. *Diagnosis.*—Ardua magisque momentosa notio caussae specialis quam morbi; hic enim ex potioribus constitutivis signis non aegre decernitur. Illa vero, nonnisi accurata indagine et rationali synthetica plurium symptomatum compositione, caussam quampiam prae aliis indicantium, conjici poterit. *Prognosis.*— Vulgaris opinio est, ut asthmatici diu vivant; quod exemplis non paucis demonstratur. Verum asthmaticorum sortem ex morbi caussis, intensitate, continuitate, recursibus, et ex singularibus adjunctis pendere obvium prorsus est. Asphyxia et apoplexia ab asthmate verendae; atque ex hoc ipso, emphysema pulmonale, hydrothorax, et aneurysmata, e quibus idem aliquando producitur, etiam consequuntur.

128. *Therapia.*— Alia vigenti insultu *palliativa*, et alia *radicalis* aptatur. Ingruente vel jam urgente asthmate, aeri puro et libero viae aperiendae: vestes omnes solvendae: truncus erigendus: ac raro parcendum sanguinis detractionibus ad circuitionem et respirationem expediendas: uti et ad retardandum sanguinis ad pulmones affluxum, ligaturam artibus inferioribus cum emolumento inflixisse narrat cum aliis Jolly. Eodem tempore uncturae, frictiones aro-

(*) Duobus ab hinc annis exemplum nobis protulit Clinicum Institutum in Veterinario milite multiloculatum aneurysma arcus aortae gerente, qui post multos asthmatis a pluribus annis ipsum prehendentis accessus, asphycticus occubuit. Consimile observatum a cl. collega Carmagnola, in sua de asthmate inaugurali dissertatione acutissimus Collegii Doctor Ruatti memorat.

maticae, aethereae supra thoracem peractae utilitate non destituuntur. Prosunt interim potiones aquae calidae, tum aquae ex pane usto carbonizato, addito nitri aut carbonatis ammoniacae pauxillo, ut in semetipso expertus est Floyer. Postea mens convertenda ad sedantia quae magis electivam vim in nervos organorum respirantium exercent: ex quibus laudantur fumus haustus e fistulis foliorum exsiccatorum daturae stramonii, atropae belladonnae, etiamque pruni laurocerasi; vel ex iisdem parata extracta in solutionis, pillularum formam propinata.

129. His parum levantibus, praesidia antagonistica et revellentia opem saepe afferre traduntur, nempe pomata stibiata thoraci inuncta, pix burgundica camphorata, cantharidata, ceratum epispasticum, eidem applicita, tum vesicantia brachiis, suris, pediluvia acria; nec non electro-magnetica actio thoracis parietibus illata, proficua ex templo refertur.

130. Moderato vel devicto asthmate, incumbit clinico munus ejusdem recidivae maxime praecavendae, quod non semel et ad tempus saltem obtinetur: victus sobrietate: domicilio electo in aere puro, sicco et aperto: blandis corporis exercitiis: quiete et prophylacticis subsidiis variis pro asthmatis indole, caussis, adjunctis; curato, ut evacuationes quaecumque naturales ac habituales secundum ordinem serventur, vel restituantur: nunc sanguine e vena detracto, vel sanguisugii ope, nunc purgantium, diureticorum, diaphoreticorum usu. His si opus est, superaddenda, quae vitium aliquod humorale

emendare, vel ad cutim vocare et circumscribere valent; quos effectus longa depurativorum idoneorum adhibitio, et cauteria praestant. Haec postrema insultus potissimum asthmatis ex vitio organico provocatos, assidua quam aiunt revulsione, praevertunt vel rariores reddunt: si praesertim adjungantur specialia palliativa, et hygiene severa.

Articulus 2.

Incubus.

131. Ut asthma *nocturnum* somni tempore praehendens, spectatur quoque *incubus*. Definitur autem sensus ponderis opprimentis regionem thoracico-epigastricam, ac respirationem, loquelam et motum adimentis, cum subita et maxime anxia e somno excitatione. *Ephialtes* graece nuncupatur, ac veluti si ab animante, persona super pectus cubante, premente inducatur, gallice *cauchemar*, vernaculo *caveja* dicitur.

132. *Symptomata.*— Incubi dum expergiscuntur, ejulatum, clamorem saepe emittunt, ac per aliquot minuta loqui nequeunt, anhelantes sunt, cardiopalmo afficiuntur, magnam prostrationem viriuin percipiunt, ac dum accessus resolvitur, in sudorem conjiciuntur. Dum somnia terrifica ducuntur, incubus aliquando contingit: adeo ut *neuresthaesiarum cerebralium* symptomaticus quandoque videatur.

133. *Caussae.*— Subjacent incubo nervis prae-

stantes, hypochondriaci et hysthericae, plethorici etiam, nec non digestionis vitiis laborantes. Ansam ei praebent vehementes animi affectus, labores mentis corporisve nimis protracti, coena plenior, aereorum fluidorum in stomacho evolutio, silentes evacuationes naturales aut habituales, ac quandoque unus decubitus dorsalis. Caussa ejusdem proxima in feriata pneumogastricorum actione ex conditione nervea, vel hyperhaemica cardio-pulmonali, vel gastrico-nervea, considere putatur.

134. *Diagnosis* ac *prognosis*. — Finitimus incubus est cum *asthmate*, et *angina pectoris*. Sed vigilantes asthma quoque corripit, incubus tantum dormientes: vox, loquela in hoc haerent, motus locomotivi vetantur, non in illo. Dolor saepe acutus, ex cordis regione ad brachium laevum diffusus cum hujus torpore, anginam pectoris stipat et denotat: quam cordis specialem neuralgiam vel intercosto-brachialem esse, plurima evincunt; dum incubus affectum nervosum pulmonalem vero dolore haud stipatum refert. — Incubus terrorem incutit, raro vitae periculum.

135. *Therapia*. — Parca coena, decubitu laterali potissimum dextero, libera mente et corpore pacato, somnus aggressus fit levis, ac incubus praevertitur. Cum vero oporteat, sanguis detrahendus: saburrae everrendae: nervi sedandi: et rectus hygienicorum usus faciendus. Perscrutato somniorum terrificorum fonte, in cerebro vel in aliis organis sito, consentaneo modo, directo aeque ac indirecto, iis occurrendum.

Articulus 3.

Asphyxia.

136. Asphyxia ex vi *vocis*, cessationem pulsus significat; consuetudinis tamen caussa, pro feriatione respirationis sumitur. Cum autem vita extrauterina a respiratione indesinenter sustineatur, hinc asphyxia dicitur defectus respirationis, indeque circuitus sanguinis, ac sensuum, motuumque omnium vitalium, mortem simulans. Quare *Mors apparens* ex pulmonum causa, quoque vocatur.

137. Nervi respirationis actibus quoque praesunt, ac propterea in asphyxia primario vel secundario afficiuntur, sic ut inter neuropathias locum non prorsus immeritum eamdem occupare censeamus. Attamen capta opportunitate, ipsam sub omni intuitu expendemus.

138. Asphyxia quadruplici praesertim modo producitur; 1° ex impedito aeris ad pulmones accessu, vel deficientia; 2° ex gaz irrespirabilibus, aut deleteriis inspiratis; 3° ex bulbi cerebralis aut medullae spinalis, aut nervorum gravi laesione, propter quam nervosus influxus ei supprimatur; 4° ex pulmonum hyperhaemia, vel asthenia, inducta.

139. Ad primam asphyxiae speciem pertinent, illa submersorum, illa strangulatorum, illa suffocatorum a pressione thoracis, et ex aeris defectu sub telluris, nivis, ruderum quorumvis massa, vel ex spasmo violento musculorum thoracicorum, etc. Ad alteram re-

vocantur asphyxiae ab aere peregrinis gaz inquinato ut gaz acido-carbonico, hydrogenio carbonato, oxydo carbonii, carbonate ammoniacali, azoto, protoxydo azoti, hydrosulphate ammoniacali, aliisque, vel ad haematosim ferendam imparibus, vel vitiatam gignentibus. Tertia asphyxiae species ex gravibus medullae oblungatae, aut cervico-spinalis laesionibus traumaticis vel spontaneis proficiscitur. Haec repetenda ducitur vel ex sensu pneumogastricorum respiratorio sufflaminato, hinc illo accessoriorum et spinalium per reflexionem negato, vel ex spasmo aut paralysi pulmonum, itemque musculorum respiratoriorum. Quarta species comprehendit asphyxiam *congelatorum*, *neonatorum*, et *asthenicam*.

140. *Symptomata.* — Asphyxiam raro subitaneam praeindicant, anxietas pectoris, sensus constrictionis ad sternum et ad laryngen, pandiculationes, oscitationes, gravedo capitis, vertigines, obfuscationes sensuum internorum et externorum, atque vacillatio motuum; deinde respiratio suspenditur, vel propemodum imperceptibilis fit, pulsus deficiunt, calore tamen superstite, nec non partium naturali flexilitate; interim dum facies tumida, violacea, plumbea evadit, oculi prominent, lacrymosi fiunt, turgent venae jugulares, et artus lividi, echimomatici redduntur. Successio autem phoenomenorum variat, ac plus minusve prompta contingit, pro caussarum diversitate et asphyxiae specie.

141. *Signa necroscopica.* — Differunt quoque reperta cadaverica asphycticorum, prout morbus di-

versimode producitur. Generatim mucus spumescens fauces et vias aereas obsidet; harum mucosa nunc pallida, nunc rubra, fusca detegitur; epiglottis erecta cernitur: pulmones turgidi ac lividi se produnt; cor nunc sanguine vacuum, nunc turgidum prout subita vel lenta fuit asphyxia; ac sanguis nigricans, plerumque dilutus in venis fere omnibus, ac speciatim in vena portarum, inque venis jugularibus et sinubus cerebralibus collectus invenitur. Rigiditas cadaverica discrimina etiam offert juxta asphyxiae speciem, durationem, et loci temperiem.

142. *Caussae.*—Neonati, rachitici, asthmatici, hypochondriaci, hysthericae, et vitia pulmonum, cordis, ac majorum vasorum gerentes in asphyxiam proni sunt. Hanc insuper ob simplicem aeris defectum inducunt, submersio in aquis, interceptio sub tellure, culcitis, stragulis, etc.; compressio thoracis ac impermeabilitas aeri ex rebus circumpositis quibusque, puta telluris, nivis, domus ruderum pondere, vel ab hominum turba: strangulationis varii modi, et obstacula quaeque aeris intra oris cavum, laryngem, tracheam, pulmones ingressui, uti externi colli tumores, et interni tonsillarum, aut intra laryngem, tracheam siti, ibidemque pseudomembranae; nunc emphysema pulmonum interlobulare, hydrothorax, ac tumores ingentes abdominis. Asphyxiam ex vitiata haematosi, praedicta gaz irrespirabilia gignunt. Traumaticae, nunc dynamico-organicae laesiones bulbi cerebralis, spinalis, aut nervorum a praegressa phlogosi, haemorrhagia, harumque

consectariis illatae, nervosum influxum respirationi adimentes, lethalem saepe asphyxiam inferunt. Nec omittendae demum caussae haemormesim pulmonalem vel astheniam producentes, ceu gravissimae animi commotiones, frigus intensum, et languor vitalis neonatorum praecocium, vel debilium.

143. Quapropter causa proxima asphyxiae, modo ab immutato sanguine venoso, modo ab eodem peculiariter vitiato, cujus de causa nerveum systema secundario mulctetur ac syderetur; modo a laesione primaria centrorum aut nervorum respirationi famulantium innervationem suspendente vel delente constituitur; modo ab impedita vel deficiente actione organico-vitali pulmonum ex hyperhaemia vel debilitate.

144. *Diagnosis* ac *prognosis*. — Respiratio imperceptibilis aut nulla cum silentio omnium functionum animalium et organicarum, asphyxiam prima fronte indicat. Hanc vero confirmant et distinguunt a syncope cum qua plura habet communia, notio causarum specialium, primaria respirationis feriatio, tumens et livida facies, ac alia externa, internave signa praedominium sanguinis venosi ostendentia. — Quod ad spem vitae reproducendae attinet, ipsa major est quo minus perfecta, quo recentior asphyxia, et ab obstaculis respirationis, potiusquam a gaz irrespirabilibus aut deleteriis producta fuerit.

145. *Therapia*. — Ut prompta et rationalis asphyxiae curatio suscipiatur, ad tria potissimum attendendum: ad obices, si qui sunt, aeri in pulmones

tollendos; ad aerem purum suppeditandum, etiamque insufflandum; et ad pulmonum, ac partium opitulantium actionem syderatam revocandam. His indicationibus pro asphyxiae varietate diversimode satisfaciendum.

146. At protinus ad asphycticorum vitam excitandam, vel ab extinctione tuendam, frictiones siccas, etiamque aethereas supra artus, ac thoracem peragere: aetheres, ammoniacam, ac quaeque spirituosa volatilia, et singillatim sternutatoria naribus apponere: clysteres aromaticos injicere: electricos ictus supra thoracem, ac synapismata, aliaque vehementia et promptiora excitantia adhibere, expediet.

147. Cum inde asphyxia a submersione se offerat, illico mundabitur os, et caput declive locabitur, quo liquida, simulque aqua ingesta defluant, et locus aeris ingressui concedatur. Hic autem promovebitur respiratione artificiali, et excitantibus tum externis cum internis. Illa folli apposito (*Configliacchi*), canula recurva quae in laryngem introducitur, praedito, institui caute nihilominus debet. Potentias respirationis excitant calor ac rudes frictiones, siccae, vel aromaticae, tum insuper rubefacientia, caustica prompte agentia, ac demum electricitas. Verum si appareant congestionis sanguineae in cerebro, ipsisque pulmonibus signa, venae sectio illico fiat.

148. Vix autem dicere vacat, ubi causa quaelibet thoracem comprimens asphyxiam induxerit, statim removeatur, terra nempe, rudera, ligna, etc.; atque hoc prompte facto cum eadem solli-

citudine respiratio supradictis provocanda, curato primum, ut hujusce viae quocumque obstructae arte opportuna referentur. Ubi tumores tonsillarum, aliique interni, vel externi, vel illapsa in canalem aereum corpora, aut ibi producta adsint, chirurgiae adjumentum invocabitur.

149. Satagendum pariter erit, ut morbi qui libertati respirationis obstant, congruis praesidiis expellantur: nunc promota seri hydrothoracem facientis resorptione, nunc viscerum turgescentium depletione, nunc spasmis compactis, et paralysibus quoad fieri potest, discussis. Ad quam rem conducunt diuretica, attenuantia, antispastica vel stimulantia pro adjunctis electa.

150. Asphyxia perstrangulationem producta, cum vel sine luxatione, ruptura vertebrarum accidit; si primum, perraro medicabilis: si ex simplici pressione fuerit, cum ob hanc sanguis congeratur in cerebro et in pulmonibus, sublata caussa premente, confestim sanguinis missione etiam iterata, ei occurrendum. Postea stimulis et irritamentis praecipue externis respiratio fovebitur, ac tandem artificialis instituetur.

151. Asphyxiam a gaz irrespirabilibus aut deleteriis ortam repellet, aer liber ac purus pulmonibus naturaliter vel artificialiter oblatus, pectore interim succusso, et incitamentis externis admotis, ut illius inspiratio obtineatur. Nec a sanguine mittendo abstinendum, ubi congestionis pulmonalis, aut cerebralis signa prodeant, eo etiam quod sanguis vitiatus subducitur.

152. Arduum omnino est, aphyxiae ex laesione cerebrali, aut rachidea proficiscenti obviam ire, sive originis traumaticae, sive spontaneae, sive a phlogosi vel ab aliqua hujus sequela fuerit. In genere sanguinis missiones generales, insuper localia sanguisugia, cucurbitulae alte incisae ad occipito-cervico-spinales regiones, modo vesicantia nucae, brachiis, cruribus, synapismata et alia externa vellicamenta commendantur. Siquidem via potentiae nerveae erga respirationem, vel a turgore, compressione capillarium, vel a sanguinea, serosa effusione, vel ab aliquo phlogosis producto praecludi consuescit.

153. Asphyxiam ex hyperhaemia pulmonali, venarum sectiones et cucurbitulae thoraci applicitae ac incisae una cum revellentibus dissipare valent. Contra, aeris in pulmones neonatorum ac infirmorum, insufflatio et praedicta stimulantia ad usum externum ac internum, asphyxiam ex asthenia superabunt.

154. In quacumque demum asphyxiae varietate, cui specialia praesidia non satisfecerint, ac mortis metus immineat, rursus ad excitamenta et revellentia violenta recurrendum est; atque irritis omnibus, actuosissimus stimulus electricitatis peculiari arte inductae tentandus manet. Haec juxta methodum Thillaye et Leroy d'Etiolles praesertim adferenda ducitur; quae in eo se sistit, ut inter octavam et nonam costam prope vertebras, acus infigatur usque quo crus diaphragmatis ejusdem lateris attingat: disposita hinc ejusdem cum electrico vectore commu-

nicatione, ictus ad diaphragma deferantur; ac si inspiratio vel levissima promovetur, sub expiratione electricum suspendatur, et hac peracta noviter admoveatur, et sic alternatim agatur, donec respirationis motus revocati prorsus sint. Nullum porro dubium quod respiratio vix alio potentiori subsidio renovari possit. Denique ab his, aliisque tentamentis abstinendum nec erit, donec certa mortis signa se prodant.

CAPUT V.

Neuropathiae apparatus nutritionis.

155. Ad integritatem fibrae organicae servandam, jam plures functiones *praeparatoriae* sub nervei systematis dominio recta ducunt; ac ipse actus nutritionis immediatus, quamquam chemico-physicus videatur, nihilominus fatente eodem Magendie doctrinarum physicarum quoad functiones organicas propugnatore, a nerveo vitali influxu quoque regitur. Quapropter hoc postremo perturbato, vel ad opus impari, neuroses nutritionis accidere consequitur; de quibus pauca quidem innotescunt, sed de iis prorsus silere non putamus.

156. Quis sane ignorat, nervis praestantes atque laborantes, ceu hypochondriacos et hysthericas, animi pathematibus, vel curis pressos, macilentos generatim esse? Quis non vidit paralysi detentas partes, saepe atrophicas fieri? Nullus ergo, si etiam

ad physiologicas demonstrationes recurrat, neuroses nutritionis inficiabitur.

157. Primum vero adnotandum censemus, ex perturbationibus nervorum, actus chemico-vitales nutritionis perturbari etiamque impediri ; namque exploratum est ad nutritionem normalem, quadam nervea quiete opus esse. Hinc explicabitur defectus nutritionis in nervis conflictatis. Similiter constat ab innumeris observatis, eos, quibus propemodum resolvuntur nervi organici, in maximum primo languorem conjici, ac pedetentim marcore confici. His, ni fallor, accensendi casus omnes inediae, in quibus vita nihilominus ad annos se propagavit; eo quod ob paralysim nervorum organicorum feriatis dissimilatione ac assimilatione, nec non reliquis accessoriis functionibus, vix quam cum superstitibus elementis organicis (quemadmodum pro Anna Garbero Racconixiensi innuebat praeceptor meus acutissimus Martinius), lentissima vitae flamma ali diu adhuc queat.—Perarduum opus tam profundas neuroses nervi intercostalis profligare. Illis tamen sedantia et quietem moralem, postremis amara, tonica, aromatica, martialia, et electricitatem, conducere arguitur.

DE NEUROSIBUS SINGILLATIM

ORDO II

Neuroses laesae sensibilitatis

(Neuresthesiae)

158. Ad tuendam valetudinem, ad individuorum conservationem, et ad speciei propagationem, quemadmodum ad commercium inter individua, et cum rebus externis statuendum, praecipua nervei systematis pars inservit, quae sensibilitatis functiones peragit. Sentire enim oportet quidquid bonam valetudinem perturbet, itemque naturae impulsus et impressiones mutuas, ut noxia avertantur, pellantur, et praedictis naturalibus aeque ac socialibus muneribus consulatur.

159. Centra nervosa praecipua et sentientes nervi utpote sensibilitatis ministri, illis officiis instruuntur: cerebrum nempe princeps, ac nervorum alii *communiter* sentientes, et alii *specifice* sentientes, iis inserviunt. Nervorum priores *sensui communi*, posteriores *sensibus specificis* praesunt. Sensum communem impertiuntur nervi trigemini, et nervi spinales posteriores, nec non quidam pneumogastricorum rami; sensus autem specificos alii pneumogastricorum rami, et nervi speciales sensuum externorum. Cerebrum sensus internos recondit et exercet.

160. Cunctorum aberrationes ex conditione pa-

thologica nervosa, laesiones sensibilitatis proferunt, *neuresthesias* vocatas; quas consultum est in varias sectiones dividere.

SECTIO I.

Neuresthesiae sensus communis.

161. Sensus communis utpote vitae custos in omnibus corporis partibus sedet, ut de externarum potentiarum nocentium, ac de internarum commotionum, vel aegritudinum praesentia, atque hostili actione, dictorum nervorum ministerio commune sensorium informet. Huic officio in statu pathologico nervum quoque intercostalem inservire admittimus.

162. Ubi porro sensus communis morbose acuitur, dolor praesto est (graece *algema*), qui monitor et comes omnium fere morborum, ideoque symptoma commune efficitur. At solitarius propemodum occurrens morbum quoque per se constituit peculiarem.

163. Dolor toties producitur quoties sensus communis primarius vel mutuatus, praeter naturam intenditur, perturbatur, vel pervertitur; siquidem in latum dolorum censum, omnes morbosas ac plus minusve acres sensationes comprehendimus. Vicissim deficientem esse communem sensum declarant *insensibilitas*, vel cessatio doloris, *anodynia*. Specia-

les ergo sensus communis neuroses prosecuturi nunc sumus.

Ex algematibus, seu doloribus.

CAPUT I.

Cephalalgia — Haemicrania — Clavus.

164. Dolor ad cerebrum perceptus atque relatus, *cephalalgia*, si acuta; *cephalaea*, si chronica, vocatur. Cerebrum profecto ut organum per se sentiens, dolere potest; at simplex hic dolor ad neuroses sensuum internorum non pertinet, cum laesae haud sint functiones mentis, quae eos repraesentant. Neque etiam omnis cephalalgia ad neuroses referenda, sed illa tantum, quae citra inflammationem producitur a causis cerebri vel quorumdam nervorum cephalicorum sensibilitatem unice acuentibus, tum idiopathice, cum sympathice agentibus.

165. Legitimam autem neurosim sistit cephalalgia ab erethismo cerebrali producta, sive primaria, sive sympathica, sive secundaria. Ipsa raro totum caput affligit, sed localis plerumque est: nunc latus alterutrum cranii divexans *haemicrania*: nunc magis circumscriptas ejusdem regiones afficiens, quarum nomen adjectivum suscipit, *frontalis*, *temporalis*, *sincipitalis*, *occipitalis*: nunc sic limitata ad frontis partem, ut *ovi*, vel *clavi* formam et nomen accipiat.

166. Censent non immerito nuperorum plures, dolores singillatim fixos ad frontem, orbitas, tempora, atque haemicraniam ipsam, nerveos potius esse quam cerebrales. Haemicraniam imo ipsam, ad neu-

ralgias ascendentes (Piorry); ad cephalo-neuralgias (Calmeil); ad neuralgiam trigemini, et singillatim rami ophtalmici a turgore praevio sinuum cavernosorum pressi (nuperrime Auzias — Turenne), referendam esse, ducunt. Primus inter neuralgias ascendentes eam collocat ob id, quod dolor contra morem ex nervo ad cerebrum diffundatur; alter composito nomine utitur, quo dolorem cerebro-nerveum complectatur. Postremus causam vascularem eidem assignat.

167. *Symptomata* — Cephalalgia prehendit aliquando praeviis capipleniis, somnolentia, vertiginibus, ac modo primaria corripit, *acuta*, *obtusa*, *pulsans*, *gravativa*, *stringens*; ipsa plerumque stimuli vices gerens, majorem sanguinis affluxum ad caput attrahit, nunc ferme obstare ei videtur spasmum inducendo; hinc facies turget, rubet, calet vel pallet, friget. Vehemens cephalalgia somnum arcet, inquietudinem, jactationem, hallucinationes sensuum, intollerantiam lucis, ac sonorum, tum vaniloquium, subdelirium, cum soporem alias infert; dum sympathice, nauseas, vomituritiones, vomitus, identidem convulsiones, tremores, extremitatum frigus, lypothimias, quin imo alia accessoria pro adjunctorum complicationum varietate, quandoque gignit.

168. Caeteris speciebus frequentior haemicrania, constituitur a dolore plus minusve acuto, saepe pulsativo, lancinante ad alterutrum frontem, supercilium et orbitam, globum oculi quasi perfodiente, cum aversatione lucis, atque sonorum. Ipsam prae-

cedunt, atque comitantur anorexia, nausea, vomituritiones, sensus frigoris atque dedolationis, debilitatis generalis. In accessus modum haemicrania saevit per horas, dies, dimidium, integrum, alterum, tertiumque, ac tandem dissipatur ingruente aut vertente somno, vel vomitu, aut copiosa perspiratione cutanea, sponte obortis.

169. *Causae.* — Disponunt ad cephalalgiam atque ad haemicraniam moles cerebri major, vel exquisitior cerebri ac nervorum trigeminorum sensus, nimiae et assiduae mentis occupationes, aut animi curae speciatim tristes. Easdem provocant, traumaticae contusiones, commotiones capitis, nimius calor, insolatio, frigus intensum, vapores carbonosi, aliique, odores acutiores vel ingrati, lux intensior, sonorum strepitus, ingesta nimia, emetica, narcotica, vehementes mentis contentiones, et animi perturbationes, somnus uti et vigilia consuetudinem excedentes: subinde gastricae sordes, helmintiasis, hystherismus, hypochondriasis, et febres periodicae aeque ac continuae, nervosae; quibus se addunt pro cephalalgia mere symptomatica, meningitis, cerebritis, et angioitis cerebralis. — Causa vero proxima in erethismo cerebrali ac nerveo conferenda videtur.

170. *Diagnosis* atque *prognosis.* — Cephalalgiae et haemicraniae notitia ab aegrotante accipitur. Clinicus autem indolem eruit, ab orgasmo vasali alterutram repetens, cum acuta, pulsativa, gravativa sit; et vicissim ab erethismo mere nervoso, cum frigore, pallore faciei stipetur atque periodice recurrat. Sym-

ptomatica ex morbi potioris cognitione deducitur. — Ab hyperactione vasali orta, moderata, ac nondum inveterata grave negotium haud facessit: secus intensissima et neglecta. Periodica non aegre dispellitur. Subcontinua nervosa quandoque rebellis perstat, ut et illa, quae ex quopiam cerebri vitio, aut ex syphilitica labe procedit.

171. *Therapia.* — Primam afferunt opem causarum remotio, et quies animi simulque corporis; hinc loci obscuritas, sonorum silentium, modica temperies, imo ad frigidiusculam vergens, diaeta, ac omnium corporis vinculorum solutio. Alteram et radicalem curationis partem absolvunt saepe detractiones sanguinis generales atque locales, epithemata frigida, gelida supra frontem imposita, pari tempore ac pediluvia, maniluvia instituuntur; nunc purgantia eccoprotica, et potiones refrigerantes; nunc emeticus, ipecaquana, vel anthelmintica; nunc lactucarium, extracta hyosciami, aconiti, atropae belladonnae, et opiata ipsa; nunc camomillae, coffeae infusa, valerianae, et arnicae praeparata varia: hinc aetherum vapores per nares attracti, vel aethero-sachara; nunc salia chinoidea. In quorum electione, praecedentia docebunt.

172. His vel illis porrectis, si cephalalgia cujusvis generis rebellis pergat, vesicans ad nucham discutiens suadetur; ac modo epicratica tartari stibiati, hujus cum pulvere foliorum atropae belladonnae in chartulas miscela, alias catharticorum, mercurii dulcis administratio valuit. Syphiliticam

una mercurialia aut succedanea propulsabunt. Idcirco prudens clinicus haec tum illa pro adjunctis supra notatis adhibebit. Ejusque dispulsae recidivam, fuga causarum, et usus pulveris, nicotianae tabaci in nares attracti, haud semel praepedient.

CAPUT II.

Rachialgia.

173. Dolor simpliciter medullae spinali insidens *rachialgia* graece dicitur. Ipsa vel totam medullae longitudinem tenet, vel partialis utplurimum, pro varia sedis regione in *cervicalem*, *dorsalem*, *lumbalem*, et *sacram* dispescitur. Quondam *haemirachialgia* se exhibet.

174. *Symptomata.* — Rachialgia saepe praenunciatur a sensu tensionis, modo torporis juxta columnam vertebralem; alias ictus electrici in modum aggreditur, ac per nervos quasi discurrit, horrores et calores fugaces, spasmos, tremores provocans. Diversas quoque, ut cephalalgia, doloris formas affectat.

175. *Caussae.* — Rachialgiae singillatim patent sensibilitate divites, nec non bajuli, hortulani, messores, milites, sutores, vel ob pondera quae gestant, vel ob solis radios, quibus dorsum exponunt, aut flexum diu servant. Eique occasionem praebent mechanicae commotiones, ictus, distensiones, motus abnormes trunci, irradiatio caloris directa, calefa-

cientia in genere, et remedia quaedam, ut strichnina; indeque onania, masturbatio, veneris abusus, retentio menstruorum, atque haemorroidum. Causa proxima ab illa cephalalgiae non differt.

176. *Diagnosis* ac *prognosis.* — Simplex et primaria rachialgia, rara offenditur. Hanc praestat a symptomatica sejungere. Discrimen afferunt symptomata alterius morbi conjuncta vel non. Rachialgia *irritationis, congestionis* phoenomena frequenter sibi adsociat, vel mere nervosa est. Primum acutior erit; obtusa cum torpore partis et partium nervos a medulla affecta recipientium in altero casu; ac periodica saepe; aliisque nervosis pathematibus juncta in tertio. — Rachialgia ex diutina sessione, appressione columnae vertebralis, similibusque, transitoria est. Gradu major et persistens, in nothoeomielitidem converti minitatur.

177. *Therapia.* — Mora in lectulo, balnea tepentia, eccoprotica, refrigerantia, sedantia propinata et applicita columnae vertebrali, ut olea singillatim hyosciami cum aqua cohobata lauro-cerasi, vel pomatae extracta sedativa excipientes, in unctionum iterandarum modum; quandoque incisae desuper cucurbitulae, vel hyrudines eidem parti, aut vasis sedalibus applicitae, praemissis ubi opus sanguinis detractionibus generalibus, rachialgiae therapiam relativam componunt. Huic resistens emplastris resinosis, epispasticis, moxa usta, atque nunc electricitate, acusque punctura, constanti etiam animo sed prudenti dispelli conabitur.

CAPUT III.

Neuralgiae potiores.

178. Dolor quicumque nervorum morbum per se constituens, pro *neuralgia* communiter habetur. Haec vero neuralgiarum particularia esse solent: invasio generatim prompta: dolor acutissimus, lancinans, urens, rarius obtusus, gravativus, contusivus; saepius ex truncis ad ramos diffusus, atque haec neuralgia *descendens* vocatur; aut idem observante jam Cotunnio, oppositam sequens directionem, et neuralgia *ascendens* nuncupatur. Æedem varium nervorum sentientium tractum afficiunt: saeviunt absque febre: subcontinuae, vel periodicae remittentes, aut intermittentes accidunt: incerto durant tempore; ac unusquisque earum insultus non ultra horam extendi consuescit.

179. Omnes nervi communiter sentientes ad neuralgias pares sunt. Quare recensentur statim trigeminus et facialis ex cerebralibus, ac nervi spinales posteriores, etiamque anteriores per mutuum, docente Magendie. Utrum nervi organici, impressionabilitate non carentes, vi morbi doleant, vix nos in judicio ambigimus. Idcirco praemissa neuralgiarum potiorum in *externas*, et *internas* partitione, veniunt inter primas, illae *faciei*; illae *trunci*; illae *artuum superiorum*, ac *inferiorum*; et ex internis, *cardiaca*, *arteriosa*, atque *viscerales*; de quibus seorsim.

Articulus 1.

Neuralgia faciei.

(Prosopalgia).

180. Dirissimus hic morbus Veteribus non praetervisus, ac denominatus *etherocrania*, mox *tortura oris*, *dolor facialis*, *trismus spasmodicus*, *tic douloureux* a Gallis, *prosopalgia*, *neuralgia trifacialis*, *faciei*, nuncupatus est. Nos postremis usitatioribus nominibus utemur.

181. Prosopalgia ad nervum quinti paris speciatim pertinet; non excluso tamen septimo, seu faciali. Quousque enim hic cum illo communicat, quod per innumeras anastomoses obtinet, licet nervus sentiens non sit, docente et experiente Magendie, sensibilitatem a quinto mutuans, neuralgia quoque affici traditur.

182. In hac opinione versantes jam Hildebrand ac Bellingeri a peculiaribus observatis edocti, prosopalgiam quinti paris ab illa septimi differre, quoque noverunt. Scilicet praeter sedis differentiam, adnotarunt dolores vehementiores in neuralgiis quinti paris, ac spasmos aut convulsiones faciei in illis septimi paris speciatim occurrere; adeo ut Hildebrand hujusce neuralgias *choreae faciei* nomine designaverit.

183. Prosopalgia trigemini vix unquam ad omnes ejus ramos diffunditur: crebro ramos sibi eligit hos

vel illos, vel ramusculos. Ad ramum ophtalmicum pertinent *superciliaris*, *frontalis*, *lacrymalis*, *orbitalis*, *temporalis*, *nasalis*; ad ramum maxillarem superiorem, *infraorbitalis*, *dentalis superior* (odontalgia), *palatina*, etiamque *nasalis interna*; ad ramum maxillarem inferiorem, *dentalis inferior* (odontalgia), *lingualis*, *mentalis*: omissis illis ramusculorum.

184. Illae septimi paris utpote *pseudo-prosopalgiae* spectari queunt; ad has referas, eam trunci, *submastoideam*, alteram *pedis anserini*, et alias portionum *temporo-maxillaris*, aut *cervico-facialis*, ac utriusque ramorum.

185. Neuralgia quaeque faciei *subcontinua*, vel *periodica*: *remittens* aut *intermittens*: *fixa*, vel *vaga*: *acuta*, vel *chronica*, *inveterata*: *idiopathica*, *sympathica*: accidit.

186. *Symptomata.* — Nonnumquam ictu quasi fulminis prosopalgia incipit, ac modo indicia praemittit, quae sunt: sensus punctionis, tensionis, formiculationis, pruritus, dolores jam instantanei et vagi, cephalalgia, vertigo, aliquando spasmi faciei, lacrymatio, salivatio, inquietudines, jactationes generales, ac potissimum gastricae nervosae turbae. Saevit inde dolor in vario nervi trigemini ramo, aut ramusculo, ex quo per alios serpit, ut veram sedem quandoque aegrotus determinare nesciat. Saepius in dextero faciei latere, rarissime in utroque accidit; quin imo dolor in tractu nervoso maxime circumscripto, puncturae in modum, aliquando

lancinat. Dentes utplurimum lateris affecti dolent propter morbi diffusionem, et alias ob odontalgiam primariam.

187. Ex doloris vi, in consensum vocatis staminibus nervi facialis, non raro musculi hi vel illi faciei tenduntur, convelluntur, et ipsamet distorquetur, nunc pallens, rubens, livescens; vel turgida fiunt ejusdem vasa, dura, vehementius pulsantia, hinc striae, maculae, aedema, erysipelas interdum se adjungunt; nares quoque siccescunt, et aciculis veluti punctae videntur; os ardet, lingua prurit, rigida, nunc tremula, saliva nulla, vel uberior fluit, atque gustus depravatur. Interim saepenumero deest febris, ac pulsus tantum contracti, vel etiam normalibus lentiores tanguntur.

188. Eodem modo sed mitiori, prosopalgia septimi paris corripit, modo truncum prehendens, modo pedem anserinum, modo ramos faciales, et ad cervicales usque descendens. Per hanc multiplex spasmus in facie inducitur, qui *cynicum*, *risum sardonicum*, *trismum*, *torticolem* simulat; cui adjectus dolor juxta nervi decursum singillatim percipiendus, neuralgiam facialis nervi indicabit.

189. Quo vehementiores alterutrius prosopalgiae accessus sunt, eo generatim breviores; ex quadrante ad horam perdurare solent, ac saepe desinunt in aeris eructationem et somnum. Feriatio ad horas, dies, menses, et annos extenditur, posteaque levi de causa, eadem, alterave prosopalgia redit, ac iteratis ejus ictibus, faciei distortionem permanentem,

spasmos identidem, paralyses, maciem induxisse constat.

190. *Caussae.* — Constitutio nervea, vel saltem exquisitior nervorum faciei sensibilitas: hiatus ossei per quos transeunt nervi faciei, angustiores: sexus sequior: aetas media inter 30um et 40um annum: hypochondriasis, hystherismus: vita daeses, tristis: anni tempora et loca frigido-humida: prosopalgiae utrique, et variae indolis praecipue favent. In causarum determinantium censum reponuntur, vulnera, contusiones, ictus, morsus insectorum nervos faciei ferientes, cosmeticorum, irritantium applicatio, refrigerium faciei ab aura vel ablutione frigida dum sudore madet, odores ingrati vel acutissimi, animi pathemata vehementia, praesertim moeror atque ira cohibita. Deinde collocare oportet impetigines capitis et faciei repercussas, rheumatismum in nervis faciei obortum vel migratum, cariem dentium et ossium maxillarium, sordes gastro-entericas, infarctus abdominis, suppressionem naturalium vel habitualium fluxuum, praesertim epistaxis et catameniorum: ac principium febrile perniciosum nervos faciei praediligens: tumores demum scyrrhosos, carcinomaticos, neuromata, etc., ex quibus dicti nervi irritantur, etiamque alterantur. — Conditio pathologica prosopalgiae a neuralgiarum communi non discrepat: sed erethismus ex quo constituitur, simplex vel complicatus occurrit.

191. *Diagnosis* ac *prognosis.* — Dolor saeviens juxta decursum nervorum faciei absque potioribus

aliis pathematibus, prosopalgiam vix dubiam relinquit. Proinde a *neuritide*, *gnatitide*, aliisque dolorificis faciei morbis secernitur, tum ex horum complexu symptomatico, cum ex sequentibus prosopalgiae signis: nempe ex doloris a levi tactu exacerbatione, et a majori pressione, obtusitate; ex ejus irregulari, vago, nunc periodico accessu: ex duratione brevi etsi facili recidiva: ex curatione frequenti sedantium vel salium chinoideorum ope. Complicationes tamen rheumatica, arthritica, congestitia, saepe prosopalgiae notas obscurant, imo phlogisticam conditionem simulant, eo vel maxime quod unis antiphlogisticis complicatione devicta, interdum prosopalgia sponte cesset. Verum harum quoque praesentia e suis peculiaribus caussis et signis dignoscetur. Constabit pariter, ubi neuralgia sympathica erit sordium gastro-entericarum, vel infarctuum abdominalium, ex gastricis symptomatibus, ex abdominis exploratione, tum ex nota fluxus alicujus retentione. Neque periodica perniciosa *prosopalgica* animadverso modo quo haec se prodit, sagaci clinico incomperta manebit.

192. Acerbissima potiusquam ominosa, prosopalgia generatim est. Violentia autem doloris neuritidem, meningo-cerebritidem, aliasque phlogoses, tum neuropathias varias, maniam ipsam, spasmos, convulsiones, cardiopalmum, syncopem provocare valuit. Recens, sponte vel paucis et appropriatis interdum cedit; nunc habituali herpete noviter apparente, aut fluxu menstruo, haemorrhoidali, quemad-

modum vidit J. P. Frank, evanescit. Contra vetusta jam, aut ex vitio rebelli, organico progenita, quemque morbum pertinacia vincit.

193. *Therapia.* — Remotis caussis et omnibus stimulis ab aegro, satagendum illico ut dolor mitigetur, deinde novi accessus praepediantur; quod utrumque praesidiis etiam adversis pro indole varia morbi adsequitur. Dolorem infringunt vel et sistunt, nunc epithemata frigida, glacies, nunc e converso calida, suffitus nicotianae tabaci, aliarumque stirpium narcoticarum, nunc uncturae, frictiones ex oleis sedantibus et cyanogenatis, ceu ex hyosciamo, aconito, belladonna, et aqua cyanogenata, nunc ope aetheris sulphurici, laudani liquidi, liquoris anodyni mineralis Hoffmanni, etc.; quandoque fascia comprimens supra regionem dolentem, nec non lamina magnetica efficacius, juxta plurimorum observationes.

194. Interim causis et indole prosopalgiae indagatis, ei speciatim occurrendum: et quod ad caussas speciales attinet, extante dentium carie ex qua foveri illa noscatur, torpentibus primum in dentem inditis, posteaque ni aliquid vetet, evulsione, promptius fomes morbi tolli debebit. Pariter tumores ganglia, tubercula, nervis adhaerentia, aut horum vulnera, contusiones, resolvi, demi, ac opportuniter medicari postulant. Saburras gastro-intestinales, vermes, infarctus expellere, dissolvere oportebit. Silentes contra fluxus revocabuntur.

195. Si autem prosopalgia e nullis peculiaribus

caussis pendeat, sed ex vigente conditione plethorica, aut rheumatica, arthritica, aut ex herpetica proficiscatur, et a reactione febrili comitetur: plana et directa se offert indicatio sanguinis missionum generalium atque localium, additis potionibus temperantibus, eccoproticis, modo diureticis, diapnoicisve levibus, pro speciali morbi ingenio et benefica naturae propensione. Hac reluctante, antimonialia, emetica ipsa, ipecaquana epicraticis dosibus porrecta, catharsim et diaphoresim utiliter promovere solent. Infracto phlogistico elemento, si ad suam sedem rheuma, podagra, herpes, revocanda erunt, id pediluviis synapisatis, vesicatoriis, unguentis pustulantibus, rubefacientibus obtinebitur; quin eodem tempore ab iis abstineatur, quae localem neuralgiam sedare valent.

196. Cum prosopalgia *legitime* nervea fuerit, ea quae in nervos faciei praesertim agunt paregorica, adhibere praestabit. Huc veniunt extracta hyosciami nigri, aconiti, atropae belladonnae, daturae stramonii, cicutae, oxydum, sulphas, valerianas zinci, modo assa foetida, arnica, camphora, valeriana, etc.; hinc composita, inter quae excellunt pillulae D. Maiglin: aliae ex moscho et valériana: aliae ex calomelano et opio ac hydrochlorate potassae a Raimann, Frank et Huffeland commendatae. Secus opiata, ac speciatim acetas morphinae, tum brucina, veratrina, etc. suadentur. Demum ipsa periodum aliquam habente, salia chinoidea, et nuper valerianas-chininae exploratus successum pollicentur.

197. Cunctis inefficacibus, pertentanda electrici-

tas ducitur. Primus Thouret hanc utiliter adhibuit. Pujol autem electricum negativum laudat. Noster Vassalli neuralgiam hanc galvanismo expulit. Heurteloup ei magneticum fluidum anteponit. Cloquet, Magendie ab electro-magnetismo, et ab acus-electro-punctura radicales curationes obtinuerunt; atque has postremas operationes feliciter instituisse, inter alios plures, noster Riberi testatur. Neque ullus de eventu mirabitur, si animadvertat electricitatem insigni discutiente vi pollere, morbosam sentiendi rationem nervorum emendare, atque acus puncturas fortasse nimio electrico redundantem nervum prosopalgicum exonerare: adeo ut acus-punctura prae electro-punctura fortasse, in simplici prosopalgia conducat.

198. Cum denique prosopalgia rebellis persistat, adsunt qui vesicantia localia acetate morphinae pulverato medicata, vel cauterizzata (Valleix); aut fonticulos, cauteria, felici experientia freti proponant. Neque haec rationi repugnant: quippe morbosum sentiendi modum nervorum affectorum mutant, ac utile exutorium statuunt. Tandem his nequidquam valentibus, ad nervi scissionem excitant alii, et alii ab hac removent ut operatione periculosa, inani aliquando, nunquam radicali, ex qua imo amaurosis et surditas praesertim verendae sint. Eam tamen narrant cum radicali successu peractam Moreau, Guerin, Haigthon, Jakson, Mock, Richt, Leidig, Langensbech, Riberi, aliique recentiores. Contra, inutilem imo damnosam viderunt Thouret, Louis

Kopp, Hartmann, Chaussier, et interdum ejusdem fautores; quod probat, longe distare ut semper votis respondeat. At exinde peremptorium in modum non repellenda: si enim laesio nervi localis est, si affectus nervus probe scindi potest: si nullum vitii aut labis diffusae genus occurrat, ac pertinacissime instet dolor: ceu extremum subsidium, ab ea tentanda quis prudens etiam clinicus, sed juvandi cupidus dissuadebit?

199. Prosopalgia olim dispulsa, ad recidivam praecavendam postulabuntur opportunum regimen, laxantia identidem praescripta, nunc exutorii continuatio, et fuga causarum: nunc emendatis sensim vitiis solido-humoralibus, cum ab iisdem prosopalgiam reproduci posse vereatur.

Articulus 2.

Odontalgia.

200. Ut neuralgiam quinti paris spectare licet odontalgiam, quam dolor dentibus attributus revelat. Ast simplex odontalgia, seu nervosa huc revocanda foret, ni satius duceremus abrepta occasione, de odontalgia generatim dicere, quatenus ex sensu nervorum dentalium aucto jugiter procedat.

201. Plures hinc odontalgiae species offenduntur, nempe *plethorica*, *phlogistica*, *rheumatica*, *gastrica*; tum ex carie *scorbutica*, *scrophulosa*, alterave genita: ac demum *nervosa* legitima.

202. Odontalgia plethorica, inflammatoria, aeque ac rheumatica mucosam gingivarum et alveolorum, vel periosteum, vel intus positum saccum dentalem peculiariter afficit; ideoque in *externam* et *internam* dividitur. In utraque, signa congestionis aut phlogosis visenda occurrunt: in prima tamen per tensionem gingivarum et genarum manifesta, non ita in altera.

203. Odontalgia legitime-nervosa uno ferme enunciatur dolore plus minusve intenso, absque ullis ferme apparentibus symptomatibus objectivis; desinit, recurritque ad intervalla cum periodo aliquando determinata. Ab hac odontalgia frequenter alii dolores prosopalgici, ac spasmi, convulsiones faciei, cephalalgia, et horripilationes, calores universales excitantur. In odontalgia irritativa, inflammatoria, et in carie dentium, masticatio, etiamque alimentorum contactus dolorem augent, et ab aegrotantibus reformidantur.

204. *Caussae.* — Labes haereditariae vel congenitae, ut scorbutica, arthritica, scrophulosa, syphilitica, alterave, tum loca frigido-humida, remotas odontalgiae caussas sistunt. Inter occasionales collocantur, mechanicae violentiae maxillis, dentibus adlatae, cum fractura et inflammatione subsequentibus. Deinde calidiora aeque ac frigidiora, acria ore suscepta, perfrigerium capitis et pedum, modo saburra, rheumata, plethora, caries dentium, alveolorum, etc.

205. *Diagnosis* atque *prognosis.* — Primam diffe-

rentialem instituere opportunum, ne dolor exacerbetur, cui mitigando consulitur. Ad eam ferendam causae et symptomata ducent: quibus se addit saepe criterium a jam exploratis praesidiis petendum. — Frequens odontalgia dentium cariem, prosopalgias, fistulas dentales verendas praebet.

206. *Therapia.* — Odontalgia plethorica et inflammatoria depletionibus sanguineis, et antiphlogisticis curatur. Rheumatica, blanda diapnoica insuper amat. Irritativa, ablatis caussis atque dente ipso demitur. Nervosa mitigatur atque compescitur torpentibus gargarismatibus, collutoriis. Nobis optime fecit solutio gummosa unius alteriusve grani extracti hyosciami nigri cochleatim in ore retenta. Richter laudabatur de pillulis ex opio et camphora conflatis. Pillulam ex opio intra dentem cariosum plures adhibent. J. P. Frank gossypium imbutum aethere sulphurico et tinctura opiata, anatice junctis praescribebat. Adversus periodicam salia chinoidea postulantur. Dentem cariosum ac dolentem prius detersum introductione coccinillae septem-punctatae, vel curculorum carabaei, crysocefali, cynipis rosarum, maceratorum, insensilem reddi, vulgus ipsum contendit. Huic feriando sufficit aliquando plumbeatio, mastices repletio; secus cauterisatio creosotio, vel essentia caryophillata, vel acido nitrico, vel ferro candente instituenda praecipitur. Evulsio, postremum ac tutius remedium est. *Æsthiomenisationem* cariei suspendendae aptam vidimus. Ad praevertendam odontalgiam citra localem dentium cul-

tum, labi alicui vigenti contraria valebunt. Reditu rae odontalgiae, aere frigido-humido, vicibus frigoris et caloris, acribus, sacharatis, ingestis calidioribus aut frigidioribus, vitatis, obviabitur.

Articulus 3.

Otalgia.

207. Alteram neuralgiam quinti, forsan etiam septimi paris speciem exhibet *otalgia:* quae a potiori dolore in auditus organo percepto constituitur. *Externa*, *interna*, *irritativa*, *inflammatoria*, *nervosa*, occurrit. Pro varia hacce indole, comitantia symptomata differunt.

208. *Symptomata.*— Obvia sunt visu, tactuve otalgiae externae et phlogisticae signa; quibus ferme deest interna, speciatim nervosa. Hanc adesse, dolor localis ac saepe ad alios nervi tramites, ipsumque cerebrum diffusus, absque primariae inflammationis notis, significat. Communia omni otalgiae esse solent nunc *oxycaea* a sonis abhorrens, nunc *dysecaea*, nunc aurium *susurrus*, *tinnitus*, *bombi* molestissimi.

209. *Caussae.*— Lymphatici, scrophulosi pueri, sed etiam sensibilitate excellentes otalgia corripiuntur. Multiplex causarum genus ei ansam praebet. Jamprimum insecta, corpora peregrina, cerumen induratum in meatu auditivo interno; modo vehemens et protracta tormentorum bellicorum explosio, vel tintinnabulorum pulsantium aliorumque frago-

rum auditio; alias rheumatisatio auris internae, angina oris diffusa per tubam eustachianam; alias tinaea, crusta lactea, scrophula, syphilis auditus organum subeuntes; dura meningitis otalgiam adferens, et neuralgia quocumque orta.

210. *Diagnosis* ac *prognosis.*— Otalgiae notio desumitur a laborante et ab exploratione organi, et ex hujus specialis functionis aberratione; ejus indolem ex causis, et ejus conjunctis eruere praestat. — Quoad exitum retinendum, ob delicatissimum organum in quo otalgia sedet, auditum noxas facile pati.

211. *Therapia.* — In eo statim ponenda, ut si quae sunt corpora irritantia intra meatum auditivum, caute educantur; si rheumaticae naturae occurrit otalgia, promptae sanguinis detractiones, emollientia localia, purgantia, diapnoica, vesicantia suo singulo tempore adhibeantur. Si nervosa fuerit, ad usum internum et externum localem, sedantia, extracta nempe consueta, olea his satura, lac tepens, aliaque in aurem injecta; insuper revellentia magno emolumento esse solent. Si periodum servet, accessifuga quoque addentur.

Articulus 4.

Neuralgiae spinalium nervorum.

Illae trunci.

212. Rarae haud sunt neuralgiae spinalium nervorum, etsi minus perlustratae. Recensentur autem *cervicales, cervico-brachiales, intercostales, inter-*

costo-cervico-brachiales, *lumbales*, *abdominales*, *ileo-genitales*, *spermaticae*, *anales*, *ano-genito-urinariae*; quas omnes nervis spinalibus posterioribus insidere censentur.

213. Neuralgiae cervicales cum illis trigemini ac facialis complicari queunt. Doloribus stipantur divexantibus in regione postica colli et occipitali, quibus adduntur spasmi cum participes redduntur rami cervicales septimi paris cerebralis, aut cervico-spinales anteriores. In primis de iis quae in nervis cervicalibus posterioribus immediate sedent: de ervico-brachialibus in articulo neuralgiarum artuum superiorum agetur.

214. Neuralgias intercostales referunt dolores juxta nervos per sulcos costales decurrentes, ac simulantes *rachialgiam*, saepe *pleuritidem*, *myositidem thoracicam*. Pauca harum neuralgiarum exempla narrantur. Ad nostram scilicet notitiam illud prostat a Siebold relatum de puella, cui menstruis cessantibus, dolor per nervum inter costam octavam et nonam dexteram diffusus supervenit, quem nulla ars dispulit, ac nervum jam dolentem, rubeolum, et atrophicum reliquit. Alterum praebet Meli in piscatore, qui acutissimo inter sextam et septimam costam dolore repente orto, et ad thoracis, abdominisque partem anticam extenso laborabat, cujus intermissio sensum torporis et vacui in ejus sede sinebat. Frustra antiphlogisticis, ceratis, vesicantibus, pomata stibiata aggressus fuit, post typhum particularem evanuit.

215. At recentissime Bassereau nova observata hujusmodi neuralgiae collegit, quam ipse consensualem nervi splanchnici esse jugiter censet, non tamen omni jure. Palpatione juxta nervos affectos dolorem exacerbante usque ad animi deliquium, cognosci docet. Neurosim hanc ut caeteras illustravit postremo Valleix, nervi splanchnici affectionem sympathicam esse, quoque reputans.

216. Ut *angina pectoris externa* traditur neuralgia *intercosto-cervico-brachialis* lateris sinistri, quae dignoscitur ex dolore praecordiali ad brachium ejusdem lateris diffuso, cum sensu pressionis thoracicae, angoris, torporis, crampi brachialis, quam, ab angina pectoris *interna cardiaca*, dolor superficialis, et absentia symptomatum cardio-pulmonalium distinguunt.

217. Neuralgias lumbales exprimunt dolores a lumbo alterutro ad os illion ejusdem lateris protensi, remittentes, intermittentes, et ad intervalla etiam duorum, triumve mensium, referentibus Coussays, Jadelot, aliisque, recurrentes. Cum vomitu, diarrhaea, febre contingunt, et emeticis, sedantibus, emollientibus, nunc antispasmodicis, linimentis volatilibus, rubefacientibus, aegre tamen conticescunt, et aliquando persistunt diutissime. Exemplum in Clinico instituto apud molinarium anno elapso habuimus. Neuralgiam lumbo-abdominalem dolores e lumbis per ventris parietes dispersi, ostendunt.

218. Crebrius offenditur neuralgia nervorum lumbalium inferiorum et sacrorum, idest *ileo-geni-*

talis, quae in viris nomen accipit *ileo-scrotalis*. Dolor in hac e lumbo ad scrotum, ac finitimas regiones descendit cum illius crispatione, ac testis retractione, observante et referente Chaussier. Eadem quondam in foeminis accidit, divexans e lumbo alterutro ad magnum labium, vulvam, vaginam, uterum, quemadmodum in foemina vidisse narrat Delpech. — In utraque, per sympathiam, tussis, dyspnaea, et affectus hystherici, convulsivi in citata muliere se prodierunt. Cauterio actuali ad magnum labium applicito et setaceo trajecto, foemina sanata fuit.

219. Neuralgia *spermatica* dicta, etiamnum recensetur. Quam ab ileo-scrotali, distinguunt dolor acerbus ab extremo inferiori funiculi spermatici, ad epididymum, testem, urethram, ac per ductus deferentes usque ad vesicam ascendens, et inferius ad coxam lateris affecti descendens, nec non plura phoenomena sympathica. Illius exemplum habet Barras, ac ni fallimur unum nos cognoscimus. Non alia ratione, quam moxae ustione juxta funiculum spermaticum prima fugata est; altera numquam violentis praesidiis aggressa persistit.

220. Demum neuralgiae *anales*, *ano-genitales*, *ano-genito-urinariae*, haemorrhoides, fissuras ani, satyriasim, nymphomaniam, et ipsam lithiasim urinariam simulantes, a nuperis animadversae memorantur.

221. *Therapia communis*. — Narcotica topice applicita et propinata, singillatim ex hyosciamo, belladonna, aconito, opiatis desumpta; modo acidum

pyrolignosum, tinctura jodii, et vesicatorium scroto imponendum, commendantur. Calomel et opium, decoctum salsaparillae, et vesicatorium unguento mercuriali, atque emplastro sabinae medicandum; hinc vapores, lotiones alkoolicae, aethereae, ammoniacales: demum moxae ustio methodum Astley-Cow per adversus neuralgiam ileo-scrotalem et spermaticam conficiunt.

Articulus 5.

Neuralgiae artuum superiorum.

222. Plexus cervico-brachialis et ejus rami locum praestant neuralgiis artuum thoracicorum. Ex ramis frequentius laborant *cubitalis* et *radialis*.

223. Cum plexus ipse afficitur, dolor obtusus ab ictibus acutis identidem exacerbatus percipitur ad regionem brachii superiorem, ex qua radiatim ad infimas vertebras cervicales, et ad regionem clavicularem ac deltoideam diffunditur. Haec neuralgia myositidem rheumaticam aemulat; in hac tamen, non in illa, motus brachii difficiles ac dolorifici sunt.

224. Neuralgia cubitalis indicatur a dolore ex regione axillari per faciem internam brachii juxta nervum ejusdem nominis ad cubiti flexionem, modo ad manus volam usque diffuso. Nullum utplurimum ab initio externum morbi indicium apparet, sed torpet brachium, ac digiti, singillatim pollex, annularis et minimus cum difficultate et dolore flectuntur. Prae

radiali frequentior haec neuralgia, noctu prehendit ac periodice recurrit, cruciatus diros et anxietatem gignit. Inveterascens brachii atrophiam adducit.

225. Neuralgia radialis incipit ex interna et postica capitis humeri parte, descendit juxta hujus marginem externum usque ad radii extremum inferius, ex quo ad manus dorsum, hinc ad pollicem, indicem et medium aliquando extenditur. Dolor vero lancinat saepius concentratus in origine nervi, aut in ejus divisione, aut in terminationibus. In hac etiam neuralgia stupidum et grave brachium evadit, ac pollex singillatim cum difficultate abducitur.

226. Communis hisce neuralgiis est decursus remittens ac intermittens, afebrilis indoles, et praesentia earumdem a palpatione opportuniter supra dictos nervos instituta revelatur.

227. *Caussae.* — Hosce nervos, et plexum cervicobrachialem ad neuralgias praedisponit superficialis eorum positus. Neuralgici autem fiunt ex vulnere, punctura in sauciandis venis proximis, et ex aliis consuetis causis.

228. *Therapia.* — Eadem, quae pro varietate adjunctorum aliis neuralgiis jam aptavimus, et his conducunt. Ob nervorum tamen affectorum superficialem decursum emplastra sedantia, mercurialia, vel linimenta ammoniacalia, balsamica, vesicantia, acus vel electro-punctura majorem pollicentur successum.

Articulus 6.

Neuralgiae artuum inferiorum.

229. Praeter alios plexus sacri ramos, quos neuralgia laborare diximus, supersunt *cruralis* et *ischiatica* exspendendae. Prima *ischias antica* Cotunii, et *femoro praetibialis* Chaussier, altera *ischias postica* Cotunii, et *femoro-poplitea* Chaussier, vocantur.

230. Neuralgia cruralis dignoscitur a dolore ex inguine, juxta latus internum et anticum coxae ad rotulam, et prope marginem internum tibiae ad malleolum internum, ac ad pedis dorsum, metatarsum, digitos, quandoque se extendente. Interdum portionem tantum femoralem, nunc tibialem, nunc harum ramos seorsim affligit.

231. Neuralgia ischiatica caeteris frequentior, ideoque magis cognita, primum a Cotunio sic illustrata fuit, ut illi nuperiores parum addiderint. Dolor hanc referens, emergit e plexu sacro, vel ex incisione ischiatica, percurrit nervi ischiatici trajectum, vel faciem femoris posticam usque ad poplitem, et ex hoc per externam tibiae partem ad malleolum externum, ad pedis plantam, calcaneum, metatarsum et digitos in completa ischiade pervenit. Idemque modo inverso, vel ascendente quandoque corripit, ac etiam in his aliisve ischiatici ramis singulatim defigitur;

tunc ischiadis *femoralis*, *tibialis*, *plantaris* nomen suscipit.

232. *Symptomata.* — Stupor, torpor, crampus, frigus, ardor, puncturae, ictusque doloris in variis dictorum nervorum tractibus eminus cominus proximam enunciant neuralgiam ischiaticam, sive anticam, sive posticam. Quarum alterutra nunc diffusa, nunc localis est, ac pro varia indole et complicatione, febre comitatur vel non, semper vero dirissimis cruciatibus ad minimum corporis et artus affecti motum, ac eo magis sub tentato incessu, et a modica pressione se exacerbantibus. Artus saepe immutatus apparet, sed non infrequenter spasmo, convulsionibus, tremoribus afficitur; ac diuturnitate temporis stupidus, rigidus evadit, simulque emaciari incipit.

233 *Caussae.* — Nervus cruralis, atque praesertim ischiaticus omnium nervorum major, quatenus laxo neurilemmate cingatur, et sub cutim illico decurrat, pressionibus, affrictionibus, contusionibus maxime subjectus, ad neuralgias prae aliis subditus censetur. Hinc traumaticae praesertim, atque modo dynamicae caussae neuralgiam ischiaticam magis quam alias, familiarem reddunt. Primas sufficiunt puncturae, contusiones, vulnera, etc.; alteras frigus humidum pedibus susceptum, vel in nervo defixum rheuma, podagra, efflorescentiae cutaneae; tum retentio menstrua, haemorrhoidalis; causarum quandoque vices gerunt. Conditio pathologica neuralgiarum ischiaticarum eadem ac illa aliarum existimatur.

234. *Diagnosis* et *prognosis*. — Dolor perceptus in origine, decursu, vel in extremis nervorum ischiaticorum, et ejus exacerbatio sub moderata pressione, absentibus morborum aliorum signis, neuralgias ischiaticas incusant. Non tamen certa notitia, nisi alterutra neuralgia a *rheumate musculari*, et a *neuritide* potissimum discriminetur. In his porro, constantia doloris, motus difficultas, et alia localia , etiamque generalia phlogosis pathemata se offerunt; dum in illis cruciatus saepe intermittunt, motus conceduntur , et reliqua deficiunt alterius morbi indicia. Vix tamen neuralgia a neuritide quam gradu et incedendi modo distat. — Etsi neuralgiae ischiaticae acutissime torqueant, perraro vitae periculum adducunt, sed rebelles diu perstantes , artus claudicationem , atrophiam , paralysim inferre queunt.

235. *Therapia*. — Innumera propemodum celebrantur adversus neuralgias ischiaticas praesidia, quorum delectus ad clinicum rationalem spectat. In acuta sane ischiade , quae irritatione congestitia, vel rheumatico-phlogistica indole stipatur , phlebotomia , sanguisugium juxta nervi affecti decursum , ibidemque cucurbitulae incisae , et alia praesidia antiphlogistica, tum sedantia ab aconito, belladonna speciatim deprompta, expostulantur. Contra in inveterata, aut vix hisce locus fit, aut inania experiuntur; tunc ad linimenta volatilia , camphorata , balsamica , et ad vesicantia juxta methodum Valleix acetate morphinae inspersa, vel ad eadem calcaneo applicita juxta alios, nec non ad frictiones etiam

BIBLIOTECA CIVICA

cantharidatas, ad urticationem, scarificationem loci affecti, et ad electro-acus-puncturas, alia post alia, renitens morbus cogit.

236. Cum praeeunte complicatione rheumatico-phlogistica, serum, pseudomembranae, crassities aucta neurilematis, aliave producta nervos obsideant, unctiones mercuriales, joduratas, luta sulphurea calentia, et alia resolventia, indicari manifestum est. Demum indumentis ceratis, resinosis, et vitato nimio artus motu, ac frigore humido, morbi reliquiae extinguentur, et recidiva praecavebitur.

CAPUT IV.

Neuralgiae viscerales.

237. Viscera thoracica atque abdominalia neuralgiis haud infrequenter plectuntur. In harum censum veniunt *neuralgia pulmonalis*, etsi parum cognita: *neuralgia cardiaca* (angina pectoris interna): *gastralgia*, *enteralgia*, *hepatalgia*, *splenalgia*, *nephralgia*. Nuperorum plerique contendunt has omnes neuralgias ad ramos pneumogastrici utpote nervi sentientis spectare. Non improbabile tamen, quod nervi intercostalis stamina acriter perculsa, trans eorum ganglia impressiones morbosas usque ad commune sensorium deferant, ac dolores etiam cieant.

Articulus 1.

Neuralgia pulmonalis.—Cardiaca.

238. Primam Laennecius peculiariter descripsit innuens, dolores quondam acutos, continuos, parumper durantes, vel intermittentes, modo fixos, modo vagos, scapulam inter et columnam vertebralem a sanis caeteroquin hominibus experiri; quos ab alia conditione, praeterquam a neuralgica produci, eorum indoles, inconstantia, spontanea cessatio, ac defectus signorum alterum morbum indicantium, commonstrant.

239. Neuralgia cardiaca ab eodem Laennec indicatur a dolore ad regionem cordis profundam, ac saepe saepius ad pulmones extenso, cum sensu oppressionis, et spasmo cordis tonico, clonicove. Haec affectio nervosam internamque anginam pectoris referre videtur. — Huic ibidem ratione affinitatis addendam putamus eam, quae ex vitio cordis organico, ac singillatim ex vasorum coronariorum lithiasi saepe provenit; quaeque inaequalitate pulsuum et motuum cordis citra accessus etiam notanda, ac aliis etiam staticis propriisque signis comitatur. Ex adverso interna pectoris angina, *nervosa* ut ait Laennec, intervalla ab omni prorsus morboso pathemate libera offert, et ubi dolor cardiacus insurgit, a pressione non exacerbatur, neque ad brachium laevum

diffunditur sed ad pulmones, cum simultanea functionum cordis et pulmonum laesione; adeo ut ab interna organica et ab externa superius descripta, sagaciter discriminari queat.

240. Cum nullus dolor cardiacus percipitur, sed anxietas tantum oppressiva, ratus fuit idem acutissimus vir, non pneumogastrici, sed intercostalis ramos ire affectos. Quod probabile et nos reputamus, imo cardio-organicam pectoris anginam sub hac postrema forma crebrius se offerre, experientia duce animadvertimus.

241. In quacumque ex hisce neurosibus, motus cordis alterantur, intermittunt, et aliquando feriantur; hinc cardiopalmus, lipothymiae, syncopes prodeunt. Consectaria sane hujusmodi cum hodiernis doctrinis physio-pathologicis consentiunt, docentibus, a pneumogastricorum laesionibus per reflexionem in nervum accessorium Willisii *indirecte*, et ab illis nervi intercostalis *directe*, cardiacos motus perturbari, etiamque sisti posse.

Articulus 2.

Neuralgia ventriculi (gastralgia).

242. Communis valdopere gastralgia est: *primaria*, nunc *symptomatica*, *secundaria*. Cujus praesentiam denotat potissimum dolor pungitivus, vel urens, gravativus, alterve ad epigastrium, modica pressione exacerbandus, et a fortiori etiam silens: raro conti-

nuus, sed variis in adjunctis sese reproducens ac exasperans.

243. *Symptomata.* — Gastralgia primaria raro subitanea, ingruit pedetentim, et enunciatur primum a pandiculatione, nausea, anorexia, cephalalgia obtusa, vertiginosa, horripilationibus, extremorum frigore et tremore; inter quae dolor exoritur stipatus plenitudine et anxietate epigastrico-praecordiali, dyspnaea, respiratione suspiriosa, ad animi deliquia propensione; tum a vomituritionibus, vomitu plerumque sicco, vel glareoso, biliari, exceptus, et comitatus a tensione abdominis cum pneumatosi, alvo obstipa, et prostratione virium generali.

244. Expositis se addunt alia pathemata in gastralgia sympathica, vel secundaria: quae ad morbos antecedentes, vel conjunctos pertinent, utpote illa gastritidis lentae, chronicae, vel ea amenorrheae, chlorosis, etc.

245. Gastralgiae varietates sistunt *pyrosis* et *soda*. Prior ex sensu ardoris epigastrici, et ructibus acidis, vel acribus distincta; posterior ex illo salsuginis, vel sapore salso, pungente. Alterutra ex acida nimis vel alkalina succi gastrici indole produci traditur.

246. *Caussae.* — Nativa praetermissa ad gastralgiam dispositione, ad caussas ejusdem proegumenas referuntur: vita sedentaria, morosa, tristis: non interruptus literarum cultus: hypochondriasis, hystheriasis, aliaeque neuroses; ac tempus pubertatis, catamoeniorum, et graviditatis. Procatarcticis adnumerantur: 1° traumaticae contusiones, compressiones

puta a thoraculis, ligaturis arctis, vermibus, etc.; 2° ingluvies, aeque ac vacuitas protracta ventriculi, et singillatim usus alimentorum fatuorum, farinaceorum, oleraceorum, vel salsorum, irritantium; vinum depravatum, vel dulce praesertim e plumbo adulteratum: nunc liquida mellita, vel spirituosa, ferventia, abusus theae, lac non raris idiosyncrasiis adversum: emetica et reliqua antimonialia, venena mineralia atque vegetabilia plurima: diuturni et improbimentis labores vertente digestione, animi pathemata, onania, venus nimia; 3° morbi alii, praecipue gastritis lenta, chronica, hypochondriorum affectiones, febres periodicae, atque saepe uteri functiones a norma deflectentes. — Erethismum pneumogastricarum propaginum gastralgiae caussam immediatam esse contenditur.

247. *Diagnosis* ac *prognosis*. — Simplex gastralgia non infrequens, sed cum aliis ventriculi affectibus plerumque consociatur atque confunditur. Hac de re Broussais eam voluit constanter gastritidi lentae, chronicaeve consectariam. Ab hac vero discerni posse docuit nuperius Barras hisce retentis: gastralgiam vacuo praesertim ventriculo acrius molestare: a ciborum assumptione et pressione ad epigastrium leniri: ex adverso gastritidis in gastralgia, linguam albescere, sitim deesse, febrim abesse ut et alia phlogosis pathemata: demum sedantia et neutralizantia prae antiphlogisticis in eadem conducere; quae cum ita sint, gastralgiam a gastritide differre opinamur. — Gastralgia sive primaria sive secundaria longus

esse solet morbus, vel facile recidivans. Male ominosa fit in ventriculi degenerationibus.

248. *Therapia.* — Gastralgia ex materialibus caussis excita, non alia ratione, quam his evulsis, aut elisis, conticescit ; quare emetici vel ipecaquanae parvae doses postulantur, ubi ingesta sint expellenda. Si acores ventriculi adduntur, magnesia absorptis, illa evanescit. Si salsi, alkalini ructus se prodant, succus citri, oxycratum, aquae carbonico, alterove acido saturae eamdem compescunt. Gastralgia legitime nervosa profligatur aqua frigida, gelidis et sedantibus, praecipue subnitrate bismuthi, lactucario, extracto aconiti, cicutae, etc.; interdum opio gummoso. Cum ex alterata sentiendi ratione pneumogastricorum gastralgia sustineatur, potiones aromaticae, aethereae, ac ipse potus coffeae hanc non semel dissiparunt. Gastralgia pertinax, quin a vitio organico foveatur, acupunctura, rubefacientibus, vesicantibus, scilicet antagonistica, vel alterante, revellente methodo, depulsa legitur.

Articulus 3.

Enteralgia.

249. Saevi dolores intestinorum ab inflammatione non producti et cum spasmis lacessentes, enteralgiam indicant : quae vulgari *colicae* nomine designatur. Enteralgia nunc *primaria* et *idiopathica*, nunc *symptomatica*, *sympathica*, *secundaria*, *communis*,

aut *specifica* admittitur. Hujusmodi varietates ex caussis et symptomatibus peculiaribus eruuntur.

250. *Symptomata communia.* — Praemissis utplurimum sensu plenitudinis ac tensionis abdominalis, nausea, ructibus, vomituritionibus, borborygmatibus et horripilationibus cum calore alternis, corripiúnt dolores vel fixi, vel vagi, saepe acerbissimi, qui spasmos, contorsiones, ejulatus, sudores frigidos, et animi deliquia etiam inducunt; quo pari tempore anxia respiratio fit, praecordia opprimuntur, venter aut deprimitur, aut intumescit resonans, alvus constipa vel diarrhoica evadit, urina turbida mingitur, et maxima virium lassitudo subvenit.

251. Notari autem merentur plurimae enteralgiae species: 1° *saburralis*, in qua dictis adjunguntur lingua foeda, ructus nidorosi, vomitus, et praegressae indigestionis notitia; 2° *stercoracea*, in qua alvus retenta est; atque hinc tumet ac dolet venter in regionibus potissimum colicis eminens; 3° *biliosa*, quae ex tensione, dolore ad hypochondrium dexterum, vomitu, alvo biliosis, interdum ictero, siti, calore aucto dignoscitur; 4° *verminosa*, quae ex doloribus vagis, pungentibus, post ciborum assumptionem remittentibus, et certo certius a lumbricorum, taeniae portionum expulsione patet; 5° *flatulenta* ex tumido, sonoro ventre, atque ex borborygmis, torminibus, ructibus, ac flatibus plus minusve levantibus distinguitur.

252. *Signa necroscopica.* — In enteralgia denatis reperiuntur generatim, intestina alibi distenta et

alibi coarctata, intus suscepta, herniosa, alias maculis, phlogisticis, gangraenosis notata, alias ulcerata, perforata, intusque emollita, pultacea, et his ac illis materiebus biliosis, acribus, viridescentibus, purulentis, ichorosis, vel fluidis elasticis passim repleta.

253. *Caussae.* — Pronos ad enteralgiam reddit naturalis, vel praeternaturalis intestinorum acris sensibilitas: quare pueri, foeminae, ac intensius sentientes, hypochondriaci, hysthericae, enteralgia saepius laborant. Eandem provocant ictus, compressiones abdominis, ingesta mechanice vel chemice, etiamque dynamice laedentia, ceu oxyda, et salia metallica; hinc alimenta sua sponte nocua, aut depravata, ut non infrequenter lac, vegetabilia cruda aut male cocta, legumina, oleracea in aceto confecta, nec non vinum, cerevisia, sicera, aliaque poculenta suapte natura vel multis modis peccantia; tum producta ac retenta fluida elastica, et excrementa intestinorum distentionem afferentia, cum purgantia irritantia, stimulantia, nervos vellicantia; demum frigus perspirationem cutaneam cohibens, efflorescentiae cutaneae retrocessae, et animi pathemata digestionem perturbantia. Ex hisce namque fit, ut erethismus intestinorum emergat, qui causam enteralgiae immediatam constituit. Hujus quoque sedes in filis pneumogastricorum collocatur, non exclusis profecto intercostalibus ac nervis spinalibus posterioribus ad intestina etiam diffusis.

254. *Diagnosis.* — Enteralgia pariter ac caeterae neuroses suis non destituitur propriis notis, sed re-

darguitur praesertim ex absentia enteritidis cum qua confunditur. Cui differentiae stabiliendae eadem valent, quae de gastritide cum gastralgia comparata diximus. Praestat vero discrimina inter varias enteralgiae species afferre, recensitis uniuscujusque characteribus. Jam vero enteralgia *saburralis* ab indigestis alimentis, ex saburrae signis, et a nausea, incitamentis ad vomitum dignoscitur. *Stercoracea* ab alvo retenta, et a crassorum praesertim intestinorum distentione, tumore eruitur. *Flatulenta* hypochondriasi, aliisque hujusce census affectibus laborantes praelegit, leguminosorum farinaceorum ingestionem, vel dyspepsiam quocumque ortam excipit, et a ventris tumore resonante, borborygmis, flatibus distinguitur. *Biliosa* adsociatur plerumque hepatalgiae, sub nomine etiam *colicae hepaticae*, ac vomitu et diarrhaea biliosis, quandoque ictero stipatur, et a perturbantibus caussis sive physicis, sive moralibus inducitur. *Verminosa* a lumbricis vel taeniis excitatur, quarum signa prostant, ac proprium ejus est ut statim ab ingestione alimentorum dolor mitescat, etiamque intermittat. *Rheumatica* ex frigore perpesso, vel ex rheumate in intestina repercusso gignitur, et significatur a doloribus acutissimis, lancinantibus, quibus saepe febrilis motus adjungitur. *Spasmodica* levibus de caussis in hypochondriacis et hysthericis evolvitur, singillatim post animi commotiones, sub insultibus febrium periodicarum, atque harum more intermittit, remittit, aliisque consociatur nervosis phoe-

nomenis, quae cuncta sedantibus, vel aromaticis potionibus dissipantur.

255. Sed enim a caeteris distingui praecipue merentur enteralgia *metallica* et altera *vegetalis* dicta. Prima speciatim ex plumbi praeparatis, sed etiam ex illis mercurii, arsenici, aliisque producitur; attamen colica *saturnina* vocari solet, quatenus ex iis plumbi crebrius inducatur. Hanc vero enunciant sensus ponderis ad cardiam, vomitum movens, saliva uberior et dulcis in os defluens, anorexia, apepsia, ructus, crebri vomitus, alvus segnis dein suppressa, ischuria etiam; atque inter haec, dolores, spasmi abdominales vehementes insurgunt, venter complanatur ad instar tabulae, et umbilicus intus retrahitur; subinde os arescit, lingua fusca, sicca fit, cephalalgia gravativa opprimit; modo delirium et tremores, convulsiones, paralyses artuum accidunt, modo balbuties, aphonia, imbecillitas magna virium, et cutis plumbeis maculis foedata; tum alia veneficii symptomata persaepe adjiciuntur.—Supersunt huic enteralgiae in cadaveribus intestina hic ampliora, illic angusta, intususcepta, quandoque inflammata, gangraena tacta, et scibalis griseis, vel nigricantibus, aeque ac strato griseo-fusco obducta.

256. Enteralgia vegetalis, etiam *colica pictonum*, aliisque nominibus a sede endemica petitis designata, ex vino adhuc fermentante, vel acido, vel non probe defoecato, itemque ex cerevisia, sicera immaturis, alteratis; tum ex usu brassicae, betae rapae, aliorumque oleraceorum, aut ex vegetabilium erugine vel

ustione tactorum ; cum ex aere frigido-humido quorumdam locorum produci constat. Dolores in hac violenti saeviunt cum intestinorum et ventris pneumatosi, ob quam a colica *metallica* potissimum discriminatur. — Lethalis haec accidens, vix quam enormem intestinorum distensionem, rupturam offert.

257. *Prognosis.* — Enteralgiae generatim exitus differunt ratione caussarum, intensitatis, complicationum. Ejus diuturnitas, aut frequens recidiva facilem transitum reddunt in enteritidem gravem, ileum, et gangraenam. — Prognosis differentialis inter varias enteralgiae species ex dictis jam patet.

258. *Therapia.* — Prima adversus enteralgiam praesidia vulgus ipsum noscit: nempe lectulum tepens, lintea modice calefacta, nunc aromaticis vaporibus imbuta supra ventrem locata, vel simplicius cataplasma emolliens oleo etiam aliquo sedativo irroratum; et ad usum internum infusum camomillae, tilliae europeae, juniperi, ac oleosa usurpantur. Clinicus autem variae enteralgiae speciei opportunam curationem affert. Saburrali opponit cathartica et carminativa, ceu oleum riccini, mannam solutam in sennae, vel camomillae infuso, et alia hujus generis. Adversus stercoraceam purgantia efficacia, et clysteres catharticos pro vario intestinorum statu phlogistico, vel torpido adhibebit. Flatulentam pellet clysteribus carminativis, et infusis camomillae, theae, cum additione guttarum aliquot ammoniacae, vel solutione magnesiae, et ubi

opus, frigidis supra ventrem impositis; quorum alia ad aeris expulsionem sollicitandam, alia ut ammoniaca et magnesia ad absorbendum gaz acidum carbonicum intestina distendens, et frigida ad hoc condensandum et pellendum praescribuntur. Biliosam emollientibus oleis leniter catharticis, et subacidulis, gazosis potionibus disjicere conabitur. Verminosam anthelminticis fugabit. Rheumaticam depletionibus sanguineis, fotibus, emplastris emollientibus, et lenibus diapnoicis evellet. Spasticam infusis sedantibus, aromaticis, et frigidorum applicatione dispellet.

259. Majus negotium opponunt enteralgia metallica, atque vegetalis. Utraque aggredienda protinus largis dosibus olei amygdalarum dulcium, aut olivarum, aut e seminibus riccini; dum amplus usus etiam fiet aquae saccharatae, vel emulsionis demulcentis cujusque. Mox antidotis et efficacioribus agentibus pugnandum erit; quorum prima adversus enteralgiam saturninam praestant, ex Orfila, sulphas magnesiae, quo acetas plumbi decomponitur, et innocua composita emergunt; ex Gendrin, Bertini nostri observatis, limonaea sulphurica ad abripiendum plumbum et ad conficiendum sulphuretum plumbi in nocuum apta; vel ex Stoll, opium et sal amarum, alterutrum diebus alternis; ex Pinel, opium et purgantia; ex aliis laudanum liquidum, calomel et saccharum, calomel et rheum, sulphas zinci, tum lactis sorbillatio multa. — Occurrunt ex adverso enteralgiae speciatim vegetali purgantia

emollientia, aeque ac clysmata carminativa, itemque fomenta, uncturae, ac emulsa ammoniacalia, demum sedantia. Si tamen dolores et spasmi urgentes, ac phlogosim minitantes, eoque magis si hujus vel irritationis appareant jam signa, sanguis mittatur oportet.

260. Reliquae viscerum abdominalium neuralgiae iisdem praesidiis emollientibus, purgantibus, sedativis ad usum internum, aeque ac externum, non ommissis in casibus intensioribus, ad morbi sedem, sanguisugiis, vel ad haemorroidalium vasa, profligabuntur.

CAPUT V.

Etheraesthesiae, atque anaesthesiae.

Perversitas sensus animalis — Insensibilitas.

261. Multis quoque modis sentiendi vis a norma deflectit, sic ut sensationes insolitae, illusoriae, et fallaces quondam percipiantur; nunc ex idiopathica nervorum sentientium laesione, nunc ex ea cerebri; ut ex utraque origine *etheraesthesiae* multiplices proficiscantur.

262. Ad has referas 1° falsas sensationes frigoris et caloris, fugaces aeque ac permanentes, fixas aut vagas, tum in variis cranii, aut vertebralis columnae regionibus, cum per nervos discurrentes; 2° erroneum sensum, qui percipitur aliquando nasi, crurum vitreorum, alias mollium, pultaceorum, alias super-

sedentium corporum, muscarum, insectorum absentium; 3° illusiones, spectra horrida, tum adstantes, belluas, deformes etc., repraesentantes; 4° deceptiones in proprio sensu ad ingestionis modum, incessum, etc., sui ipsorum, vel aliorum relativas. Ex quibus plurimae in morborum nervosorum decursu, ac praecipue in vesaniis passim adnotantur. Qua autem ratione producantur, difficile dictu; sed ab alterata saepissime textura cerebri, medullae spinalis, aut nervorum ex causa phlogosis principe cum ex hujus jam frequenter sequelis, anatomes pathologica crebro ostendit.

263. Neque raro accidit, ut sensus ipse animalis, ex oppressa vel deleta sentiendi potentia, prope vel prorsus deficiat. Qui defectus *insensibilitatem*, *anodyniam* pariens, *paralysis quoad sensum* etiam nuncupatur. Verum insensibilitas ab anodynia distinguitur in eo quod prima ex simplici oppressione vel debilitate vis sensiferae procedat, et altera quae doloris cessatio potius est, ex gravi subnata laesione organica deducenda videatur; haec proinde illa ominosior censetur. Congestiones sanguineae, serosae, atque processus phlogistici consectariae et organico-nerveae alterationes multiplices, ac potissimum emollitio, induratio, etc., rarissime simplex nervea atonia, *disaesthesiae*, atque *anaesthesiae* causas immediatas sistunt. Consequitur propterea, has vel immedicabiles manere, vel antiphlogistica, hinc revulsiva postulare, aut etiam stimulantia nervina invocare.

SECTIO II.

Neuraesthesiae sensuum instinctivorum.

264. Corporis necessitatibus, quae tum ad individui conservationem, cum ad speciei propagationem respiciunt, *sensus instinctivi* praesunt: quorum officium est admonere vel impellere ad requisita captanda, vel agenda, quibus dicti naturae fines consequantur. Iis plures a nuperis adnumerantur: nimirum sensus *famis*, *sitis*, *egestivus*, *mictorius*, *respiratorius* et *aphrodisiacus*. Praecipui autem, de quorum aberrationibus speciatim dicendum, sunt: ille *famis*, *sitis*, et *aphrodisiacus*. De reliquis enim ut symptomaticis aliorum morborum simultaneus sermo incidit.

265. Sensus famis in ventriculo sedet, ac pneumogastricus ei prospicit. Ille sitis in faucibus vulgo collocatur, tum etiam ab ejusdem nervi ramo pharyngeo regi videtur. Aphrodisiacus genitalibus utriusque sexus insidet, ac imperio nervorum sacrolumbalium posteriorum subditus ponitur. Horum sensuum exercitium nec continuum, nec perenne est, sed activum per tempus, quo jacturas speciales reparare oportet, vel ad generandum dicata organa, apta, parata fiunt. Cum ergo sensuum instinctivorum quisque insatiabilis, vel devius, vel nullus ex nervorum culpa reddatur; neuroses eorum propriae habebuntur. Colligitur hinc sensus etiam hosce acui vel perverti, vel imminui, ac deleri; quapropter sub vario hoc intuitu explorabuntur.

CAPUT VI.

Aberrationes sensus famis.

Polyorexia — Pica — Malacia — Dysorexia — Anorexia.

266. Polyorexia, idest *multa fames* indiscriminatim quorumque alimentorum, definitur morbosus appetitus consuetum et normalem excedens, cum voracitate utplurimum conjunctus, et aliquando insatiabilis. Fames praeterea cum lipothymia contingens, *bulimia*; cum ingestorum vomitu *cynorexia* nuncupatur.

267. Morbosa fames non raro adsociatur gastritidi chronicae, febribus nervosis, periodicis, hystheriasi, hypochondriasi, quatenus nervi ventriculi, tum universum systema nerveum, acutiorem sensum adipiscantur. At etiam polyorexiam primariam pneumogastricorum surculos acrius sentientes inducere posse, nullus inficiabitur.

268. Polyorexia quantumlibet satiata, ventriculi plenitudinem, oppressionem, vomitum gignit. Eadem vero illusa, utpote inediae affinis, sensum vacuitatis, cruciatus, crampos ad epigastrium, oris saepe amarorem, nauseam, vomituritiones, ptyalismum, et debilitatem generalem adducit; indeque nerveum systema perturbatur, musculare convellitur, et marcor celerrime excipit.

269. *Caussae.*— Ad polyorexiam disponit consuetudo prava cibos vorandi, qui vel illico, vel indigesti rejiciantur. Eandem excitare traduntur succus gastricus nimis acidus, vel alkalinus: bilis in ventriculum ascendens, usus aromatum, etc.; insuper vitia conformationis organicae, ceu ductus choledochi in ventriculum insertio, aliaque; hinc morbi ventriculi sensibilitatem idiopathice, vel sympathice acuentes, utpote nervorum erethismi, irritationes: vel eundem impotentem ad digerendum reddentes, uti ventriculi atonia, etc., vel succos nutritios alienantes, vel celerius quam par est, dissimilationem promoventes, quemadmodum vermes enteroidei, lienteria, diabetes, etc., vel febris hectica, nec raro febris periodica, saepius tertiana. Quare consequitur sensus famis exaltationem ex consuetis morbosis conditionibus hyperneuricis, polyorexiae immediatam causam suppeditare.

270. *Diagnosis* ac *prognosis.*— Expedit famem morbosam distinguere, prout ex locali ventriculi causa, vel generali proficiscitur. — Ipsa in morbis acutis malum plerumque omen significat: in febribus periodicis harum pertinaciam: in declinatione morborum jam proximam convalescentiam adnunciat.

271. *Therapia.* — Divexans fames, profligatis causis vel morbis, a quibus pendet, sedatur. Hinc provideatur oportet saburrae lenibus emeticis; acoribus ventriculi magnesia usta; alkalinitatibus, acidorum ope; helminthiasi, anthelminticis opportunis; gastritidi chronicae, emollientibus, gelidis, cya-

nogenatis; deficienti nutritioni congruis alimentis. Superstes deinde hyperaesthesia ventriculi emulsis hyosciami seminum, solutione extracti aconiti, tum subnitrate bismuthi, cicutae extracto, lactucario, vel opiatis, debellanda. Interim conferunt cibi fatui, dulces, mucilagine et foecula divites, ut tritici, oryzae, salep, sagou, solani tuberosi, juscula, pultes, aliaque satietatem cito inducentia.

272. Depravatio appetitus, si ad *terrea, cretacea, carbonosa* limitatur, *pica;* si ad insolita, etiamque noxia, non nutrientia extenditur, *malacia* vocatur. In hac sic aliquando pervertitur sensus, ut marcida appetantur, etiamque excrementa comedantur. Depravatio hujusmodi solitaria perraro occurrit, sed consectaria gastritidis lentae, gastralgiae, cacochymiae acidae, biliosae, pituitosae, verminosae, tum hystheriasis, graviditatis, lipemaniae socia utplurimum se praebet. Quare aquae cyanogeno vel gaz acido carbonico scatentes, sanguisugia ad epigastrium, sedantia ventriculi propria, purgantia, neutralizantia succos gastro-entericos vitiatos, amara, roborantia, martialia: et, his non valentibus, vesicans epigastrio applicitum, restituendo sensui in pristinum commendantur.

273. Appetitus consueto minor *dysorexia;* nullus *anorexia;* cum ciborum fastidio, et horrore *apositia;* cum diutina abstinentia *asitia* dicitur. Dysorexia, et anorexia inter prodroma et sequelas omnium fere morborum se produnt. Subinde ex pneumogastricorum paraesi, aut ex totius ventriculi inertia ob ca-

pillarium congestionem, vel astheniam produci conjiciuntur. Major pneumogastricorum alteratio, tum illa succorum digerentium ex gravi diuturna viscerum secretoriorum affectione, *apositiam* gignere diceretur. Paralysis ramorum gastricorum decimi paris, aeque ac nervorum nutritioni prospicientium, ut asitiae causa non improbabilis culpatur.

274. Quo famis defectui provideatur, tum morbosis ejusdem causis diversimode succurrendum, cum ventriculus opportuniter sollicitandus ducitur. Primum lenibus emetici vel ipecaquanae dosibus, quandoque sanguisugio epigastrico, vel aquis acidulis, gazosis, aut cyanogeno saturis, etiamque martialibus obtinetur. Alterum amaris, roborantibus, vino chalybeato, absyntito, alkoolatibus gratis, aromaticis, assequi interdum valemus. Haec et illa adjumentum postulant ab aptis corporis exercitiis, a peregrinationibus, rusticatione alpina, montana, et ab otio amaeno.

CAPUT VII.

Aberrationes sensus sitis.

Polydipsia — Adypsia.

275. Appetitio poculentorum singillatim aqueorum, prae morbis solito major vel minor, ac nulla quandoque redditur. Sitis cujusque liquidi intensior *polydipsia*; deficiens *adypsia*; cum horrore poculentorum *hydrophobia*, de qua postrema alibi dicetur.

276. Polydipsia idem ac sitis multa, inexplebilis, constans, vel ad brevia intervalla recurrens, vocatur. Rarissime primaria, saepissime symptomatica accidit, et comitatur a siccitate, ariditate faucium, mox ab ardore, dolore, dysphagia, et a concitatione universali, furore etiam si ad extremum gradum perducatur.

277. Vicissim ipsa morbos acutos stipare consuescit, pyrexias nempe continuas aeque ac intermittentes, et phlegmasias, quarum symptoma et signum commune praebet. Haec ardenti calori, partium ariditati, seri defectui in sanguine, et acutiori inde facto sensui sitis tribuenda videtur. Eadem polydipsia alias procedit ex sero sanguinis uberius secreto, nunc excreto, quemadmodum in hydrope, diarrhaea, polyuria ephidrosi, etc.; in quibus ex defectu molecularum aquearum producto in sanguine acris sitis accenditur. Quandoque tamen ab unis alimentis salsis, nimiis aromatibus conditis, tum a farinaceis nimia copia ingestis, et a poculentis alkoolicis molesta sitis excitatur, quae sitis *alimentationis* a quibusdam dicitur.

278. Sitis excedens temperatur sua sponte, prout morbi quibus sociatur, natura, vel arte suffragantibus declinant. Urgens sitis symptomatica pyrexiarum ac phlegmasiarum mitigatur potionibus, collutoriis subacidis, vel fructibus subacidis in ore retentis; balnea quoque multam opem afferre solent. Quae autem sistunt profluvia e quibus derivare noscatur, sitim et compescunt. Sedantia demum sensui exquisitiori infringendo aptari debent.

279. Adypsia morbis afebrilibus, atonicis, in quibus languet potentia nervea, generatim aggregatur. Socia ei sunt: lingua nunc alba, mollis, mucosa, nunc rubra et sicca, coriacea, quemadmodum in typhoidea febre aliquando. — Adypsia temporaria nullius fere momenti est; contra perseverans de paralysi sensus suspicionem movet. — Adypsia symptomatica iisdem quibus morbi praecipui vincuntur, subsidiis fugatur. Secus amara, tonica, sialagoga excitando sensui conducunt.

CAPUT VIII.

Aberrationes sensus aphrodisiaci.

Satyriasis — Priapismus — Nymphomania — Anaphrodisia.

280. Ad tutandam speciem sensu peculiari genitalia utriusque sexus instruuntur, quo cum voluptate ad functiones reproductionis idonei impellantur. Ipse, sensus *sexualis*, *generativus*, *aphrodisiacus* dicitur. Hic gradu vario secundum naturam et adsuetudinem potens, ob morbosas causas exaltatur, imminuitur, deletur.

281. Ad effraenem sane gradum incitationis erga copulam aliquando evehitur in viris sub nomine *satyriasis*; qui in foeminis *nymphomania*, *furor uterinus*, *hystheromania* nuncupatur. Satyriasis affinem alterum morbosum excessum habet, qui *priapismus*

vocatur, ex uno genitalium turgore ac dolore constitutus absque coitus desiderio, prout voluptas in satyriasi imperat. Cum ex instinctus affectivi praepollentia, mens in utroque sexu etiam aberrat, ut ad amorem vel et ad copulam generativam, impetus praeternaturalis enascatur, *monomania erotico-amatoria* emergit, de qua suo tempore.

282. Satyriasis et nymphomania intra quemdam gradum ab exaltatione phantasiae amatoriae provocantur. Ultra, symptomaticae feruntur cerebelliae, cerebellitidis, phtisis pulmonalis, lythiasis urinariae, helminthiasis intestinalis, etc.; nunc etiam ab aphrodisiacis foventur. Iis dominantibus turgent genitalia, pruriunt, titillant; contra voluntatem et rationem cogitationes et actus obscaeni excitantur, ac delirium amatorium quandoque se addit; crebrae adveniunt spontaneae vel promotae pollutiones, atque inter millena phoenomena nervea, impotentia accitur, demum lenta tabes dorsalis corpus conficit.

283. Priapismus virilis ex vellicatione, saepius ex irritatione genitalium simplici, aeque ac blennorhagica inducitur: ac horum morborum symptomaticus efficitur. Noctu saepius prehendit, ac si diu permanet, jactationem universalem, anxietatem, lumborum ac testium dolores, dysuriam, haematuriam afferre valet.

284. Hyperaesthesiae genitalium singillatim obnoxii sunt qui temperamento sanguineo-nerveo, irritabili pollent, et aphrodisiae studentes. Victus maxime calefaciens, continentia non habitualis, incitamenta

venerea multiplicia, cantharidum, balsamicorum, aphrodisiacorum quorumdam usus, genitalium aestum accendunt.

285. Venereos aestus infringunt: balnea, semicupia tepentia, interdum subfrigida, lotiones, immersiones genitalium frigidae, potiones temperantes, nitratae, diaeta tenuis ac vegetalis; et his ineptis, sanguinis etiam missiones, mixturae hydrocyanatae, tum potissimum extractum aquosum secalis cornuti, lactucae, etc.: camphorae et nitri epicraticae doses juxta veterum observationes; saepe purgantia eccoprotica, et clysmata frigida. Quibus maximum in modum subveniunt consilia, praecepta moralia, religiosa, hygienica, et gravium consectariorum iliades ob oculos posita.

286. Cum genitalium ardor nullo modo retundatur injectiones cathereticas in virilem urethram, et nympharum resectionem in foeminis (*) sunt qui efficaces reperiisse, narrant.

287. Deficiens ad copulam incitamentum non ex aetate, vel consuetudine, sed morbosa de caussa *anaphrodisia* in utroque sexu appellatur. Haec vel ex causa generali (*constitutionalis*), vel ex locali (topica), vel *absoluta*, vel *relativa* tantum, accidit.

288. Multis sane de caussis appetitus venereus deest, vel ob congestionem aliquam in centro aliquo nerveo, aut in genitalium nervis reconditam, vel ob universi corporis debilitatem, vel ob inertiam, atrophiam genitalium, vel ob astheniam nervosam, vel

(*) Hanc postremam noster Riberi cum successu instituit.

ob phantasiae defectum. Nitendum idcirco, ut sensus aphrodisiacus restituatur, nunc sanguisugiis in opportuna sede, nunc copiosiori nutritione, nunc aphrodisiacis, nunc plurimis legitimisque ab itineribus, musica, etc., petitis incitamentis: quibus nempe per viam physicam, et per illam phantasiae, naturalis impulsus excitari, revocari poterit.

—

V. MALINVERNI, *Praeses.*

V. PEYRON, *Mod.*

—

INDEX

De Neurosibus generatim . . . pag. 5
De Neurosibus singillatim . . . . » 29
Ordo I. *Neuroses innervationis* (Neuropathiae) . . . . . » *ib.*
Caput I. *Neuropathiae apparatus digerentis* » 30
Art. 1. *Dyspepsia* . . . . . » 31
Art. 2. *Vomitus — Ileus nervosus* . » 33
Caput II. *Neuropathiae apparatus uro-genitalis* . . . . . » 37
Caput III. *Neuropathiae systematis sanguinei* » 39
Art. 1. *Cardiopalmus* . . . . » *ib.*
Art. 2. *Ecclysis — Lipothymia — Syncope* » 42
Art. 3. *Neuropathiae arteriarum - venarum - capillarium.* . . . . » 47
Caput IV. *Neuropathiae apparatus respiratorii* . . . . . » 50
Art. 1. *Asthma nervosum* . . . » *ib.*
Art. 2. *Incubus* . . . . . » 60
Art. 3. *Asphyxia* . . . . . » 62
Caput V. *Neuropathiae apparatus nutritionis* » 69
De Neurosibus singillatim . . . . » 71
Ordo II. *Neuroses laesae sensibilitatis* (Neuraesthesiae) . . . . . » *ib.*

Sectio I. *Neuraesthesiae sensus communis* pag. 72
Ex algematibus, seu doloribus.
Caput I. *Cephalalgia - Haemicrania - Clavus* » 73
Caput II. *Rachialgia* . . . . » 77
Caput III. *Neuralgiae potiores* . . » 79
Art. 1. *Neuralgia faciei* (Prosopalgia) » 80
Art. 2. *Odontalgia* . . . . » 88
Art. 3. *Otalgia* . . . . » 91
Art. 4. *Neuralgiae spinalium nervorum* (Illae trunci). . . . . » 92
Art. 5. *Neuralgiae artuum superiorum* . » 96
Art. 6. *Neuralgiae artuum inferiorum* » 98
Caput IV. *Neuralgiae viscerales*. . » 101
Art. 1. *Neuralgia pulmonalis. - Cardiaca* » 102
Art. 2. *Neuralgia ventriculi. (Gastralgia)* » 103
Art. 3. *Enteralgia* . . . . » 106
Caput V. *Etheraesthesiae atque anaesthesiae.*
Perversitas sensus animalis — Insensibilitas . . . . . » 113
Sectio II. *Neuresthesiae sensuum instinctivorum* . . . . . » 115
Caput VI. *Aberrationes sensus famis*. Polyorexia — Pica — Malacia — Dysorexia — Anorexia . . . . . » 116
Caput VII. *Aberrationes sensus sitis*. Polydipsia — Adypsia . . . . . » 119
Caput VIII. *Aberrationes sensus aphrodisiaci*. Satyriasis — Priapismus — Nymphomania — Anaphrodisia . . » 121

Errata		Corrige
Pag. 11, lin. 25 neuresthesiae	ubique adsunt	neuraesthesiae
13, » 16 lypothimiae	iidem errores	lipothymiae
14, » 4, 5 oxycea, dysecea		oxycaea, dysccaea
19, » 3 voluerunt		valuerunt
20, » 18 At		Et
29, » 24 hystheriasim	ubique etc.	hysteriasim
39, » 23 exageratio		exaggeratio
40, » 29 potus ardentes		potus
56, » 28 alterae,		alterius,
91, » 4 obviabitur		obviam itur
92, » 9 ejus conjunctis		conjunctis
93, » 10 anteriores. In primis de iis quae in nervis cervicalibus posterioribus immediate sedent : de ervico-		anteriores. De cervico-
112, » 25 in nocuum		innocuum
120, » 20 siti		sitis

T0011069

FLORA MEDICO-FARMACEUTICA

COMPILATA DAL DOTTORE

FELICE CASSONE

In corso d'associazione.

L'Opera sarà divisa in 6 volumi in 8°, ciascuno dei quali distribuito in 25 dispense. Una dispensa si compone di pag. 16 di testo, e di 4 tavole miniate, cosicchè il numero delle tavole ascenderà complessivamente a 600. Ogni quindici giorni si pubblica una dispensa, al prezzo di fr. 1. 50.

Quest'Opera ha per iscopo di facilitare lo studio dei vegetali che servono alla medicina, offrendoli esattamente disegnati e miniati, e riparando così alla insufficienza delle Raccolte di piante disseccoate, e al difetto delle escursioni non sempre o per breve tempo concesse agli studiosi: quindi tale Opera destinata ai medici, ai chirurghi, ai farmacisti, non che ai veterinarii ed agli erbaroli, conterrà *la descrizione di tutti i vegetali indigeni ed esotici, che vengono in uso medicinale, le loro proprietà, le analisi, le dosi, e, quello che più monta, le mediche applicazioni, praticate o riferite dai più rinomati scrittori di materia medica;* e le tavole miniate rappresenteranno *di ciascuna pianta la forma, la dimensione, la radice, il caule, le foglie, i fiori, gli stami, i pistilli, il frutto, non che le varie gradazioni di colore sotto le quali si mostrano.*